





1, 699.
228
1729, 14 2

D. GEORGII CHRISTIANI
GEBAVERI P. P.
COMMENTATIO ACADEMICA
DE
IVRISDICTIONE
SECUNDVM DOCTRINAM ROMANORVM
EIVSDEMQUE DOCTRINAE
IN GERMANIA VSV
EDITIO SECUNDA
MVLTO AVCTIOR ET EMENDATIO



LIPSIÆ
APVD IOAN. CHRISTIANVM LANGENHEMIVM
CIC MDCC XXXIII.

D. GEORGII CHRISTIANI
GEBAVERI P. P.
COMMENTATIO ACADEMICA
DE
IURISDICTIONE
SECUNDVM DOCTRINAM ROMANORVM
EIVSDEMQUE DOCTRINAE
IN GERMANIA VSV
EDITIONE SECUNDA
MULTO AVCTOR ET EMBELLITIOR



LIPSIÆ
PUBLIUM CHRISTIANUM LANGENHEIMIVM
MDCCXXXIII

PRAEFATIO.

Q. D. B. V.



*ostquam de Iurisdictione non tantum
infiniti Doctorum Commentarii,
variaeque Tractationes hodie pro-
stant, sed etiamnum nihilominus
haec materia valde difficilis, intri-
cata, incerta, atque obscura appa-
ret; erunt fortassis, qui aut super-*

*vacaneam aut irritam existimabunt operam nostram, quum
post tot illustria ingenia, BARTOLOS, a) BALDOS, IA-
SONES, ZASIOS, b) MARANTAS, BOLOGNETOS,*

A 2 LONGO-

a) Quamvis in evoluendis scriptorum optimis multum omnino studii postu-
rim, de Bartolis tamen Baldisque, et qui eos doctrina referunt, minus
solicitus fui, quod ab his bonis viris, sed Romanae antiquitatis rudibus,
omnes illae tenebrae sint profectae, quas posteri non nisi acri tandem di-
ligentia iterum disiecerunt atque expulerunt. Illorum similes sunt pluri-
mi a SCHILTERO allegati; qui tamen fuerunt ad manus, eos inspexi,
et ut in hac quoque parte Historiam Iurisprudentiae literariam valde ne-
glectam quadantenus iuicem, editiones horum, ut reliquorum, ex *avro* Ma-
dare est animus.

b) VDALRICI ZASII *Enarratio in Titulum Digesti Veteris de Iuris-
dictione*

LONGOVALLIOS, c) BOCEROS, d) OBRECHTOS, e) PAVRMEISTERS, f) *aliosque plurimos nihil afferri facile possit, quod non ab illis iam tum fuerit tractatum, atque ita tractatum, ut ab exiguo ingenio certius quid aut elegantius sperari baud possit.* Verba sunt longe modestissima Viri maximi, IOANNIS SCHILTERI, quibus suam de *Iurisdictione, et pro ea tuenda Edictis Exercitationem*, ad Pandectas sextam, orditur, et quae paullo intensius eorum vim meditati magnam profecto iniiciunt curam, qua ad Te, BENEVOLE LECTOR, in huius de *Iurisdictione* conscriptionis limine mihi vtendum sit excusatione, qui et mediocritatem meam a sublimi eruditionis SCHILTERIANAE apice multum abesse, et praeter illustres Viros a SCHILTERO memoratos, ab aliis etiam, magnam partem magis excelsis ingeniis, hoc Argumentum illustratum, noui, puta: a GVIL. LVVERANO, g)

M. AN-

ditione omnium iudicum, inter Opera Tom. I. pag. m. 410. Lugd. 1550. fol.

c) IOHANNIS LONGOVALLI *de Iurisdictione Tractatus*, Ingolstadii, 1586. 8.

d) HENR. BOCERI *Tractatus de Iurisdictione*, Tubingae 1609. 8.

e) GEORG. OBRECHTI *Tractatus de Iurisdictione, Imperio et Foro competente*, Argent. 1617. 4.

f) TOBIAE PAVRMEISTERI *de Iurisdictione Imperii Romani, Libri II.* Hanov. 1608. 4. Francof. ad Moenum 1616. 4. et cura IO. EICHELI, Helmstadii 1670. 4.

g) *In arbore Iurisdictionum, quam in Tractatibus Illustrum Iurorum castis- simo Opere quod Vener. 1584. fol. prodit Tom. III. P. I. pag. 18. b. re- peri-*

M. ANTONIO BELLARMATO, h) HIERONYMO
 MVSCORNO, i) ANGELO MATTHAEACIO, k) IO-
 ANNE GILLOTO, l) EGVINARIO BARONE, m)
 ANTONIO GOVEANO, n) FRANCISCO DVARE-
 NO,

perire datur, ineptiarum plenissima, quam tamen rudi etiam infausti fructus
 imagine in fronte ornatam, aliquando inspexisse iuuabit, vt iustas M. AN-
 TON. MVRETI querelas eo rectius intelligamus, quas initio suorum in
 h. t. Commentariorum effudit: Nam cum *Accursus*, inquit Iureconsulto-
 rum eloquentissimus, qui certe moderatus infamit quam ceteri, pauca
 quaedam erroris atque inscitiae semina sparsisset, ea deinde posteriorum
 ingenit, tanquam pingui ac feraci solo concepta, radices etiam egerunt,
 ita vt in arborem excreuerint, quae longe lateque patulis diffusa ramis,
 quorum in singulis foliis toridem singularis stultitiae vestigia impressa
 erant, tantum effecit umbrae et opacitatis, vt, qui sub ea iacebant, veri-
 tatis lucem aspicere nunquam potuerint. Inde illi gradus Iurisdictionis,
 parvae, minoris, minimae, itemque imperii parui, minoris, minimi, magni,
 maioris, maximi, inde officium nobile, officium mercenarium, aliaque eius-
 dem generis somnia, quae qui magno fastu ac supercilio tradiderunt, pro
 Iurisdictione iuris ignoracionem, pro mero imperio meram stultitiam, pro
 mixto mixtam cum falsa opinione scientiae prodiderunt.

- h) Icto Senensi in *Annotationibus quibusdam in Rub. et L. primam D. de
 Offic. eius cui mand. Iurisdictione*, Patav. 1651. 8.
- i) Cyprio de *Iurisdictione et Imperio*, in eodem *Iuris Oceano*, Tom. III. P. II.
 pag. 15. b. exstante, et separatim Colon. 1596. 8. edito.
- k) In *Commentariis in Tit. de Offic. eius cui mand. est Iuris. de Iurisdic-
 tione et Rei Vindicatione*, quae cum Petri Matthaeacii nonnullis inter-
 pretationibus prodire Venet. 1602. fol.
- l) Briemensi I. V. D. in *Libris duobus de Iurisdictione et Imperio*, quos
 non spernendos offendes in *Tractatibus illustrum Ictorum*, iam memo-
 ratis, Tom. III. P. I. pag. 1.
- m) In *Variis Quaestionibus publice tractatis ad Digesta Iuris Civilis*. Ope-
 rum Tom. III. Lutet. 1562. fol.
- n) De *Iurisdictione aduersus Eguinarium Baronem* in *Tractatibus IV.*

NO, o) M. ANTONIO MVRETO, p) LVDOVICO CHARONDA, q) FRANCISCO DE CLAPERIIS, r) HERMANNO VVLTEIO, s) SCIPIONE GENTILI, t) VALENTINO FORSTERO, u) IOACHIMO STEPHANI, x) MATTHIA STEPHANI, y) IOH. VERSTEGENIO, z) GVIL. MARANO, aa) ARNOLDO
VIN-

per Christophorum Henscherum, Ienae 1596. 8. et inter Opera Lugd. 1599. 8.

o) In *Apologia de Iurisdictione atque Imperio aduersus Eguinarium Baronem* inter Opera Frf. 1607. fol. pag. 1097.

p) In *Commentariis breuibus et perspicuis in Titulos ad materiam Iurisdictionis pertinentes*, quos a Ioach. Cluten. editos Argent. 1608. 8. Tyronem Iuris legisse neutiquam poenitebit.

q) In *libello de Iurisdictione et Imperio*, qui cum eiusdem Charondae Libris *reudaw* et Scholiis ad Tit. de V. O. prod. Witteb. 1601. 8.

r) In *Tract. de Imperio et Iurisdictione*, qui cum simili LONGOVALLE libello editus extat Colon. Agrip. 1591. 8.

s) In *Commentario ad Tit. Codicis, qui sunt de Iurisdictione et Foro competentis* Frf. 1599. atque iterum 1625. 8. atque iterum 1630. 8.

t) *De Iurisdictione Libris III.* Helmst. 1610. 8. Francof. 1613. 8. Romanae prudentiae cultoribus quantuis pretii.

u) *Libris duobus de Iurisdictione Romana*, Helmst. 1610. 8.

x) *De Iudaeorum, Graecorum, Romanorum et Ecclesiasticorum Iurisdictione* Libris IV. Francof. 1604. 8. Francof. 1661. 8.

y) *De Iurisdictione* Libris III. Francof. 1623. 4.

z) In *Dissert. de Iurisdictione, mixto et mero Imperio, et seruitutibus realibus* cum Observationibus Academico-forensibus ed. Nouiomagi 1665. 8.

aa) In *Tractatu de Iurisdictione*, qui exornat Opera docissimi Antecessoris Tomum II. Tolosae 1684. fol.

VINNIO, bb) ERICO MAVRITIO, cc) ANTONIO MATTHAEI dd) et GERHARDO NOODTIO, ee) vt nunc Anonymi ff) opellam non contemnendam, et omnes illos taceam, qui suis in Digesta et Codicem infinitae varietatis Commentariis easdem rubricas dederunt explicatas. Traditum est a maioribus, fateri culpam, esse ingenuarum mentium, quod a me quoque fieri debet, qui veram non simulatam Philosophiam profiteor. Nempe legeram illorum scriptorum plures, sed, quod ingenii tenuitati facile adscribi patior, non eo cum fructu, quem speraueram, videbarque iure an iniuria habere, quod in singulis desiderarem, nunc Legum Romanarum auctoritatem, nunc veram illarum interpretandi rationem, nunc antiquitatum lumen, nunc ordinem debitum, nunc decentem Iuris Patrii amorem, nunc Patrii Iuris et Romani iustum discrimen; immo in multis horum scriptorum plura, in nonnullis omnia; in quibus fluctibus vt naufragium vitarem, placuit tandem ad fontes

bb) In *Traetatu de Iurisdictione*, qui est inter *Traetatus V. Roterod.* 1664. 4. editos.

cc) In *Dissertatione de Potestate Principis, Lege Regia et Iurisdictione*, Kilon. 1668. habita, et inter *Opuscula per B. Hertium edita*, Editionis Argentinenfis 1724. 4. pag. 532.

dd) In *Traetatu de Iure Gladii*, bonae frugis et antiquitatum patriarum, ut omnia eruditissimi Antecessoris, plenissimo, Lugd. Batav. 1689. 4.

ee) *Libris II. de Iurisdictione et Imperio* inter *Opera Lugd. Batav.* 1713. 4. edita p. 117. inter *Opera ibid.* 1724. fol. edita Tom. I. p. 91.

ff) *De Iurisdictione et Imperio Libellus*, Hanou. 1613. 8.

tes redire, ad ipsa legum verba, et quid illi magni Artis boni et aequi Auctores in paucis illis, TRIBONIANI beneficio an maleficio, seruatis fragmentis nobis tradiderint, indagare. Ex his quaedam Iurisdictionis Romanae imaginem mihi effinxi, eandem nonnihil ex illis optimae notae Commentatoribus exornavi, nonnulla nouiter disputavi, mox cum Iure Patrio contuli; Verum enim vero, in quas Prudentum iuniorum altercationes hoc in loco inciderim, vix dici potest. Ni ignauum esset visum, retulisset pedem e semita tot sentibus obsita; pudore compulsus ut eunque perrexi, non ea fiducia, ac si meae diligentiae seruatum esset, tantas componere lites: (illi nodi Gordii vim maiorem et Θεὸν ἀπὸ μυχῶν αὐτοῦ, vel vt rectius dicamus, Illorum, qui suprema gladii potestate sunt insignes, decisiones expectant,) sed vt in has semel angustias coniectus, qua demum cunque via, eniterer. De cetero, seruata magnis Nominibus, a quibus dissenfi, reuerentia, sententiam dixi libere; quam bene, Eius nunc erit, cui vacat, legere, cui lubet, iudicare.



CAPVT PRIMVM
DE IVRISDICTIONE
SECVNDVM DOCTRINAM ROMANORVM.

I.

Recte atque ordine doctrinae de IVRISDICTIONE *Verborum Significatio.* exponendae operam daturus prius nosse oportet, vnde nomen Iurisditionis veniat. Constat autem, illud coaluisse ex duabus vocibus, quae sunt: IVS et DICTIO. Est itaque Iurisdictio, dictio eius quod ius est. a) *Dicere* est pronunciare, vocabulo perquam forrensi. b) *Ius* est id quod pronunciat, quod et iustum conti-

a) De Homonymia vocis vide VLRIC. HYBERVM *ad D. b. §. i. vt et SCIP. GENTILEM L. l. c. i. de Iurisdict.* quibus adde locum CAPITOLINI in Gordianis c. 4. *Practuram nobilem gessit: (Gordianus senior) post Iurisditionem consulatum primum inijt cum Antonio Caracalla, secundum cum Alexandro, ex quo constat Practuram per excellentiam hoc nomine insignitam. conf. c. XVIII. Maxime autem Praetura vrbana aut peregrina isto nomine veniebat: TACITVS enim de Agricola c. 6. Etiam ipsum tribunatus annum quiete et otiose transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor ac silentium, nec enim Iurisdictio obuenit. Adde EIVSD. Annal. l. 40. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitae in iisdem exercitiis aut iurisditionibus habere. Sed et idem CAPITOLINVS, narrans, qui eidem Gordiano Seniori oblatum sit imperium, inuentusque, inquit, Senex venerabilis, post Iurisditionem iacens in lecto etc. cap. VIII. vbi Iurisditionem ipsum iuris dicundi actum et exercitium significare, in proptulo est.*

b) *Dicere* originem habet graecam, VARRO *Lib. V. de L. L. p. m. 56. an a dixen, dixovou, ostendo? vt IOSEPHVS SCALIGER in Coniectaneis in Varronem p. m. 84. an a dixen? vt mihi videtur. Ciuitatis Romanae est Dica, vox cum illa altera propinqua cognatione coniuncta, quae causam, litem, iudicium denotat, de qua et scribenda et fortienda vid. CICERONEM in Verrem Lib. II. Cap. 14. 15. Tria autem Praetoris verba sunt: DO, DICO, ADDICO, VARRO de Lingua Lat. L. V. p. m. 50. MACROBIVS Saturnal. Lib. I. c. 16. et ex compositis res claret, quae plerumque legitima: Abdicere vindicias l. 2. §. 24. D. de Orig. Iur. Addicere bona liber-*

contineat, FESTVS: *Iusa, Iura*, QVINTILIANVS in *Instit. Orator. Lib. I. Cap. IV. pag. edit. Burmann. 43. et Cap. VII. pag. 89.* Hieron. MAGIVS *Miscellaneorum seu Var. Lectio. L. IV. c. 1.* et ius faciat, *l. 50 §. 1. D. de Legat. l. l. 14. pr. D. de Appellationibus*, et ius eo ipso reddatur, *l. xi. D. de Iust. et Iure.* Nam Iuris nomine et sententiam, quae dicitur, et legem, secundum quam dicitur, immo locum etiam, in quo dicitur, *l. xi. D. de l. et l. l. 4. §. 1. D. de Interrogat.* intelligi, fere tralatum est.

*Iurisdictio est
vel Magistrat-*

II. Iurisdictio est Magistratum, qui sunt vel Populi Romani, *l. 20. D. de Tutor. vel Curator. dat. vel Municipales.*
l. 1.

libertatum conseruandarum causa, t. t. I. de eo cui libertatis causa bon. addic. *Addicere* iudicem. *l. 39. D. de iudiciis.* *Addicere* debitorem, qui soluendo non est, creditori suo, vt pro seruo vtatur, FESTVS voce: *Addicere*: Alias addicere *damnare est.* v. DACERIVM ad h. l. *Condicere*, p. r. f. a. lingua denuntiare, vnde in personam actiones, quibus dare aut facere oportere intenditur, conditiones appellatae §. 15. l. de Actionibus. *Contradicere*, in primis alterius desiderio, quod reorum erat, *l. 1. §. 2. D. de Postulando.* *Edicere*, quod fuit Praetorum *l. 1. §. 1. D. de bonis liberor. et omnium, qui iuri honorario auctoritatem dederunt §. 7. l. de Iure Nat. Gent. et Cin. l. 2. D. de Testam. Mil. sed et Principum l. 1. §. 1. D. de Confit. Princ.* *Indicere* forum. VIRGILIVS *Aeneid. v. 757.*
Indicere gaudet regno Troianus Accesit
Indiciteque forum.

ubi SERVIVS: *Id est, tempus et locum designat agendorum negotiorum, qui conuentus vocatur. Indicit autem verbum Iuris est: et per hoc potestatem vult significare civitatem.* *Indicere* ferias. *l. 26. §. 7. D. Ex quibus caus. mai. iuncta l. 4. D. de Feriis, multas, l. 2. C. de modo multarum.* *Interdicere*, unde omnia Interdicta appellantur, quia inter duos dicuntur. §. 1. l. de Interdictis. *Prodicere* Kalendas, vt intra eum diem pronuncietur, A. GELLIVS *Noct. Attic. XII. XIII.* vnde *Prodictio*, vocabulum fere fugitiuum, sed in Fragmento FESTI Farnesiano seruatum p. m. 32. *Superdicere*, vt illud eximium in *l. 13. §. fin. D. de Iurciurando: Igenere vobis ut dicitur. conf. FERRANDVS ADDVENSIS Explicationum Lib. I. ad l. 3. D. de Iurisdictione.* Immo ipsam *Iudicis* nomen, et *Iudicandi* verbum ex utroque illo: *Ius* et *Dicere* constata sunt. VARRO hoc supra allegato: *Hinc Iudicare, quod tunc Ius dicitur: Hinc Iudex, quod Ius dicitur accepta potestate, id est, quibusdam verbis dicendo fuit.*

SECUNDVM DOCTRINAM ROMANORVM. II

l. 1. pr. D. de Magistrat. conueniendis. His Iurisdictionem tri-
buit aperte GAIVS Lib. I. ad Edictum Prouinciale: enim P. R. vel
Municipa-
lium.

*Incola & his Magistratibus parere debet, apud quos incola
est, et illis, apud quos ciuis est: nec tantum municipali
Iurisdictioni in utroque municipio subiectus est, verum
etiam omnibus publicis muneribus fungi debet.*

l. 29. D. ad Municip. nisi quod illa Iurisdictione intra certam
quantitatem constiterit, teste IULIO PAULO Sent. Lib. V.
Tit. V. §. 1. (quo referimus eiusdem PAULI illa Lib. I. ad
Edictum:

*Extra territorium ius dicenti impune non paretur. Idem
est, et si supra iurisdictionem suam velit ius dicere.*

l. 20. D. de Iurisdic. forte etiam ea GAII ex Lib. I. ad Edictum
Prouinciale, quae ex *l. xi. D. de Iurisdic.* inferius sumus alla-
turi: et quod iidem non ea habuerint, quae magis Imperii
sunt, PAVLVS Lib. I. ad Edictum:

*Ea quae magis Imperii sunt, quam Iurisdictionis, Magi-
stratus municipalis facere non potest. Magistratibus
municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut
bona rei seruandae causa iubere possidere, aut dotis ser-
uandae causa, vel legatorum seruandorum causa.*

l. 26. D. ad Municip. Et quod eorum Iurisdictione in causis etiam
capitalibus modica admodum fuisse videatur, VLP IANVS Lib.
XVIII. ad Edictum:

*Magistratibus municipalibus supplicium a seruo sume-
re non licet; modica autem castigatio eis non est dene-
ganda.*

l. 12. D. de Iurisd. Ut adeo illa SICVLI FLACCI de Conditio-
nibus agrorum, initio, pag. edit. Goesianae 1. *Regiones au-
tem dicimus, intra quarum fines singularum coloniarum, aut
municipiorum magistratibus, ius dicendi coercendique est libe-
ra potestas, et illa veteris Legis apud HYGIVM de Limiti-
bus, pag. edit. Goesianae 207. Quos agros, quae loca, quaeue
aedificia intra fines puta illos, et intra flumen illud, intra viam
illam dederò, assignauerò, in eis agris iurisdictione coercitioque
esto*

esto coloniae illius, cuius civibus agri assignabuntur, vel pro modo potestatis, l. 52. §. 12. D. de furtis, vel de modica coercitione, sine qua iurisdictio nulla est, sint explicanda. vid. GVL. MARANVM de Iurisdicl. pag. 20. et 23.

Magistratus
P. R. vel Ma-
iores vel Mi-
nores.

III. Magistratus Populi Romani fuerunt vel maiores vel minores. Optime ASCONIVS PEDIANVS in M. Tullii Ciceronis Diuinationem in Q. Caecilium pag. Edit. Verburg. in 4to. 359. Vol. II. Alii, alienum, non nomen proprium putant esse, sed alienum et alterius iudicii, et non ex auditorio Praetoris, maiorumque causarum, sed a subsellis, hoc est, non a tribunalibus. Sunt enim subsellia Tribunalium, Triumvirorum, Quaestorum, et huiusmodi minora iudicia exercebant, qui non sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subsellis confidebant. Maior inde minorue potestas. Illa Imperium: PAVLVS Lib. sing. ad L. Fufiam Caniniam:

Horum est
Imperium.

Potestatis verbo plura significantur, in persona magistratum Imperium. a)

l. 215. de V. S. Quo ipso iurisdictio magistratus maioris, a minoribus iudiciis, a iurisdictione municipali et a notione Pedanei iudicis distinguitur.

Quod vel
merum est,

IV. VLPPIANVS Lib. II. de Officio Quaestoris:

Imperium aut merum est, aut mixtum est. b) Merum

a) Eiusmodi Magistratus AELIVS LAMPRIIVS eleganter Honores Iuris Gladii appellat. Ita enim de Alexandro Severo in vita c. XLIX. Honores Iuris gladii nunquam vendi passus est, dicens: Neceffe est, ut qui emit, vendat. Ego non patiar Mercatores Potestatum: quos si patiar; damna-re non possum. Sed de Iure Gladii mox uberius dicam.

b) Mirum est horum nominum ac differentiae nullam apud veteres scriptores mentionem reperiri: sed id summum Imperium constanter appellari, quod nostri merum dixerunt, sunt verba HOTMANNI in Epitomatibus ad hunc Tit. Operum Tom. I. col. 46. An? quod post translatum in Caesares imperium haec ficta in Magistratibus nomina fuerint, ut summi Imperii vocabulum solis Imperatoribus relinquatur, ut idem coniecit HOTMANNVS. An? ut ego teneo, quod summum imperium a mero differat, et sit hoc posterius, summa de capitalibus causis cognoscendi potestas, pars illius, quod

est imperium, habere gladii a) potestatem ad animadu- acre, vehe-
tendum mens: vel

quod praeter gladii potestatem etiam reliquam omnem eius, qui provinciae praefecti, complectitur potestatem, sane post Principem omnibus maiorem.

l. 4. D. de Officio Praefidis. De hoc summo imperio omnino habent Boni Auctores, de mero et mixto, cui posteriori non facile captabis HOTMAN- NI coniecturam, nostri libri. Fuisse autem summum et merum imperium ab inuicem distincta, monente GENTILI *Libro de Iurisdict.* III. c. 1. nihil apertius probat, quam Consulium exemplum, quos mero imperio caruisse post L. Valeriam in vulgus notum est, quibus tamen imperium summum tribuit POMPONIVS in *l. 2. §. 16. D. de O. I. et regium* CICERO de Legibus Lib. III. Cap. 3. *Regio Imperio duo sunt, iique praecedendo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantur, et paulo post C. 4. de capite civis per maximum comitatum u. r. 2.*

- a) Nempe meri Imperii insignia, stante republica Fasces cum securibus, Principatu introducto, Gladius. TERTULLIANVS in Apologia c. V. *Consulite Commentarios vestros. Illic reperietis primum Neronem in hanc se-
-tam tum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse, et TACI-
-TVS Historiarum III. c. 68 de Vitellio: Simul filium protendens, modo
-singulis, modo vniuersis commendans, postremo sletu praepediente, assistenti
-Consuli, (Caecilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem velut Ius
-necis vitaeque civium, reddebat. Aspernante Consule, reclamantibus qui in
-concione adstiterant, ut in Aede Concordiae positurus Insignia Imperii, do-
-minumque fratris periturus discessit.* A Caesare tenebant Praefecti et Praefi-
des. CLAVDIVS RUTILIVS de se ipso vrbi olim Praefecto in *Itin.*
L. I. v. 159.

*Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
-Non sit Praefecti gloria, sed populi.*

Ferri Potestatem etiam ARNOBIVS L. IV. aduersus gentes appellat p. m. 153. *Verum ita seres habet, inquit de Magistratibus P. R. ut quantum plurimum gladiis et potestate valeris ferri, anteire vos etiam veritatis scientia iudicetis.* CASSIODORVS in Formula Comituae Provinciae L. VI. cap. I. *Tua dignitas a terroribus ornatur, quae gladio bellico, rebus etiam pacatis accingitur. Vide quo iudicio fueris euectus, quando aliis vigorem fascium videamus esse creditum: tibi autem ab ipsis legibus ferrum consistere esse porrectum. Rem cruentam dederunt animo pacato, ut et noxii nimium metuerent, et laesi de optata ultione gauderent.* Addantur LACTANTIUS *Div. Instit.* Lib. VI. c. 4. n. 22. SVLPICIUS SEVERVS *Dial.* III. XI. et in primis SALVIANVS de Gubernatione Dei L. II. extr. *Hoc est enim illud quod sit: Apprehende scutum, et arripe gladium: Scutum scilicet ad protectionem,*

*mixtam, mite,
temperatam.*

tendum facinorosos homines, a) quod etiam potestas ap-
pellatur.

l. 3. D. de Iurisdic. et Lib. I. Opinionum.

Qui uniuersas Prouincias regunt, ius gladii habent: &
in metallum dandi potestas eis permessa est.

*Illud, merum
Imperium,
Iurisdic. fuit.*

l. 6. §. 8. D. de Offic. Praef. Imperium illud merum, omni-
no Iurisdic. est, b) testibus PAPINIANO Lib. I. Quaestio-
num:

Et ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iu-
dicii habeant exercitionem, Lege vel Senatusconsulto dele-
gatam (veluti Legis Iuliae de adulteriis, et si quae sunt
aliae similes) Iurisdictionem suam mandant.

l. 2. D. de Offic. ej. cui mand. est Iurisd. CONSTANTINO ad
Maximum:

Prouidendum est, ne veterani, qui protectoris dignitate
cumulati, aut honores varios pro meritis suis consecuti
sunt, incongruis pulsantur iniuriis: quod si quis in hoc
crimine fuerit deprehensus, Rectores prouinciarum pro
Iurisdictione sua examinantes factum pro sui qualitate
eos coerceant.

l. 2. C. de Veteranis, et LEONE ET ZENONE IMPP. A. A. ad Eu-
sebius Mag. Offic.

In criminalibus sane controuersis, et in publicis tribu-
tis, ita etiam aduersus tales viros prouincias moderan-
tium congruam Iurisdictionem volumus obseruari, ne

sub

nem, gladium ad vltionem. Non quia hoc iudicans Deus egeat apparatu.
Sed quia in hoc seculo haec terribilia rerum nomina, terribilium iudicio-
rum sunt instrumenta. Erecentioribus conferatur SCIP. GENTILIS
de Iurisdic. Lib. III. c. 2. et 3. et VLR. HYBERVS ad D. b. Tractatio-
ne de Imperio §. 4. Editionis a me curatae p. 75.

a) Vide hanc loquendi formam ex ADONIS Martyrologio pulcre illustran-
tem GVIL. MARANVM de Iurisd. p. 31.

b) Saltim ex vsu aetatis republica posterioris. conf. M. A. MVRETVM
ad Tit. de Iurisd. p. m. p. et 27.

*sub praetextu concessi privilegii vel flagitiorum crescat
auctoritas, vel publica vacillet utilitas.*

l. 2. de Privileg. Scholar. quibus adiicias TERTULLIANVM Et cum notio-
ne coniu-
ne coniu-

Africae Praefidem in Christianos grassantem c. IV. Potes et sum.
*officio Iurisdictionis tuae fungi et humanitatis meminisse: vel
quia et vos sub Gladio estis. Quid enim amplius tibi man-
datur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad
tormenta renocare? Videtis ergo, quomodo ipsi vos contra
mandata facitis, vi confessos negare cogatis. Idem tamen abs-
que cognitione et notione non fuit, VLPPIANVS L. I. de
Offic. Proconf.*

*Solent etiam custodiarum cognitionem mandare Legatis:
scilicet vi praeauditas custodias ad se remittant, ut inno-
centem ipse liberet: Sed hoc genus mandati extraordina-
rium est.*

l. 6. pr. D. Offic. Proconf. et Lib. Sing. de Offic. Praef. Vrbi:
*Quicquid igitur intra Urbem admittitur, ad Praefectum
Vrbi videtur pertinere: sed et si quid intra centesimum
milliarium admissum sit, ad Praefectum Vrbi pertinet:
si ultra ipsum lapidem, egressum est Praefecti Vrbi no-
tionem.*

l. 1. §. 4. D. de Offic. Praef. Vrbi. Et quem existimem tam
inepte verecundum, ut etiam si Leges deessent, illud loqui
erubesceret, et absque celebrata iuris forma potestatem gla-
dii vsurpatam diceret; rem tam arduam, in manu Regum
olim positam, mox Consulibus negatam, certis Quaesitori-
bus commissam, Legibus inde publicorum Iudiciorum. *l. 1.
D. de publ. Iudic. Senatus consultis l. 1. D. de Offic. ej. cui mand.
est Iuris d. Principum constitutionibus l. 1. D. de Offic. Praef. Vrbi.*
custodite ordinatam; rem tam sanctam, ut ab eo, qui publi-
ci iudicii exercitationem habebat, mandari non posset *d. l. 1.
pr. D. de eo cui mand. est Iuris d. nisi ex Lege publici iudicii a
Quaestore, Iudici Quaestionis l. 1. §. 1. D. ad L. Cornel. de Sicar.
Collat. Leg. Mosaic. et Rom. Tit. 1. §. 3. et ex Principum Con-
stitutio-*

stitutionibus a Praefecto Vrbi, Vicario vrbis; a) rem tam grauem, ut instruenda sit idoneis testibus vel apertissimis documentis, vel iudiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus, *l. vl. C. d. probat.* rem tam atrocem, vt Quirites illam potestatem omnem, ab eo quod in ista Iurisdictione extremum atrocissimumque erat, imperium *l. 3. D. de Offic. Praef.* idque merum, *ἀνακτορον* immixtum, acre, vehemens appellarint.

Vera de mero Imperio sententia primum detecta a Goueano.

V. Primus b) hanc meri imperii significationem animaduertisse mihi visus est ANT. GOVEANVS Lib. II. de Iurisd. p. m. 71. *Neque absurde et a Papiniano in l. i. de offic. ej. cui etc. et a Paulo ead. l. et l. vl. eod. Tit. et ab Vlpiano in nostra l. imperium pro summo et vehementissimo dicitur.* Quae enim mera sunt, maiorem vim habent. *Verius tamen puto ideo nomen appellatum, quia Iurisdictionem non comitetur, et, vt Pauli verbis vtar, Iurisdictioni non cobaereat. Quod enim sequitur mandatam Iurisdictionem, non merum dici videmus in §. qui mandatam, iam citato et in l. vl. eod. Tit. Recte autem ex alterius contrariis definitione alterius colligitur definitio: neque certius colligi vllomodo potest.* Miror Virum magnum ex his se non potuisse extricare, et tam bellae interpretationis gloriam noluisse habere solidam. In illis GOVEANI verbis posteriora e definiendi regulis deprompta sunt omnino verissima, iisdemque ipse vtor, et fortissime colligo, sed ex antecedenti viori; sequentem in modum: Merum imperium est maius,

a) Vide haec lapidibus vetustis, et honorum Auctorum locis illustrata apud NOODTIVM Lib. II. cap. 4. 5. 6. *de Iurisd. et Imperio* et Cl. SCHVLTINGIVM *ad istum Collat. locum p. m. 728.*

b) Nisi intercedat antiquissimus Interpres ODOFREDVS, ob ea quae in melium profert SCIP. GENTILIS Lib. III. *de Iurisd. c. 3. Doctores, inquit, nostri, vt Odofredus, suauissime nugantur de verbis huius Definitionis Vlpiani, veluti, quod animaduertere dicatur ex eo, quod animam vertat, id est, a corpore segreget, quod meri imperii definitio a bonis compotoribus petenda sit.*

ius, et vehemens, immo, ex CICERONIS a) sententia, vehementissimum, erit ideo mixtum imperium, imperium minus, et minus vehemens. In eo autem situs est error Clarissimi ICTI, quod in illa vera *τῆ meri* significatione, quam acutum videns iam prae oculis habebat, non perfliterit, neque ex *meri* natura contrariam *non meri* siue *mixti* naturam indagarit: potius opinionis communis torrente abreptus: *mixtum* idem valere, quod *cobaerens*, siue *commisstum*, simul, *merum* idem esse ac *non cobraerens*, *non commisstum*, fortissime, vt sibi videbatur, ex contrarii natura collegerit. Fraudi fuit *l. 5. §. 1. D. de Offic. Ej. cui mand.* verbis: *Imperium, quod non est merum*, quod nos aequè commode interpretamur: *Imperium quod non est vehemens*, et illa PAVLI in *l. 1. §. 1. D. eod.* ad PAPINIANVM notantis: *Imperium, quod Iurisdictioni cobraeret*. Sed valde differunt, quae vulgo dicuntur: *Imperium quod Iurisdictioni est mixtum*, b) et illa PAVLI: *Imperium quod Iurisdictioni cobraeret*. Vulgatum illud si cum Legibus Romanis quis comparauerit, facili negotio deprehendet, quod non Imperium Iurisdictioni, sed magis, teste VLPIANO in *l. 3. D. de Iurisd.* Iurisdictioni Imperio insit, c) vt adeo si ex illis duobus alteri a mixtura nomen imponendum erat, non mixtum Imperium, quod Iurisdictioni non inerat, sed mixta

Iuris-

a) In loco maxime luculento pro *A. Catina* c. 2. quem ideo adscribam: *Omnia iudicia aut distrabendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt: quorum alterum leuius est, propterea quod et minus laedit, et per se ipse disceptatore domestico iudicatur: alterum est vehementissimum, quod et ad grauiores res pertinet, et non honorariam operam amici, sed seueritatem Iudicis, ac vim requirit.*

b) Vide tamen GVIL. MARANVM de *Iurisd.* p. 19. vulgarem sententiam, vti ei mos est, ex *l. 30. D. de Vsu cap. et Vsu par.* acutissime explicantem.

c) HOTMANNI aliorumque coniecturis, et emendationibus praeter literae Florentinae auctoritatem obstitunt BASILICA Lib. VII. Tit. 3. §. 3. Tom. I. Edit. Fabrott. p. 267. *Τὸ κρείττον ἢ ἀκράτον, ἢ τοὶ καθ' αὐτὸν εἶναι, ὡς τὸ εἶναι ζήσας ἔξωθεν, ὅπερ καὶ ἔξωθεν λέγεται, ἢ μινδὸν, ἢ τὴν ἡρώσιν ἢ δικαιοδορία, ὡς τὸ δύναι διαματοχῆν. Δικαιοδορία δὲ εἶναι καὶ τὸ εἶναι ἀδείαν δύναι δικαστῆν.*

Cete-

Iurisdictio, quod imperio inesset, dici debuisset. Quod autem PAVLVVS ait l. 1. §. 1. D. de Off. ej. cui mand. Iurisdict. Imperium Iurisdictioni cohaeret; prorsus conuenit cum eo, quod idem PAVLVVS in l. 5. §. 1. eod. ait, Mandata Iurisdictio-
 ne priuato etiam Imperium, quod non est merum, videri manda-
 datum, hoc sensu: „ Mandari solere Iurisdictionem, vbi si
 „ nihil opus est Imperio, vti saepe inter bonos non est, il-
 „ lam vnā videri mandatam: sin opus, mandatum quoque
 „ videri Imperium, cohaerere enim, id est, sequi Iurisdictio-
 „ nem Imperium, immo si id, quod nobilius est, inspicias,
 „ mandata Iurisdictioe, ipsum Imperium mixtum, quod
 „ non est merum, id est, non acre, non vehemens manda-
 „ tum videri, cui, ex verissima VLPIANI sententia, ipsa Iu-
 „ risdictio inest. „ Recte adeo Vir cum de omni Iurispru-
 dentia Ciuili, tum de hac inprimis doctrina meritissimus
 GERHARD. NOODTIVS fugitiuum rē: meri, et rē: mixti
 significatum reuocauit in Lib. de Iurisdict. & Imper. I. Cap.
 IV. Est adeo hoc mixtum, mite, lenē, non merum; illud me-
 rum, acre, vehemens, immixtum, PAVTVS in Aulularia
 Act. II. Sc. 3. vers. ult. ex lectione GRVTERI.

asserita a
 Noodtio

nois aucto-
 ritatibus il-
 lustrata.

Nam ecastor malum moerorem metuo, ne immixtum bibam.
 MARTIALIS Lib. III. Epigr. 57.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennae,
 Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

APVLEIVS Metamorph. Lib. VII. p. m. 297. Et instantia va-
 lidiore vinum iam immixtum, sed modico tepesactum vapore
 sauciis illis et crapula violentiaque madidis ipse abstemius non
 cessat impingere. AVSONIVS in Meroën anum ebriosam:

Infusum sed quod vinum non diluit vnda,
 Potare immixtum sueta, merumque merum.

VI. MAR-

Ceterum, quantum in hanc legem vnā vel librariis vel interpretibus lice-
 rit, videas in Corollario, quod IOACH. CLVTEN. M. A. Mureti in h. t.
 Commensariis subiunxit.

VI. MARCIANVS Lib. I. Institutionum:

Omnes Proconsules statim, quam urbem egressi fuerint, habent Iurisdictionem: sed non contentiosam, sed voluntariam: ut ecce manumitti apud eos possunt iam liberi, quam serui; et adoptiones fieri.

Iurdictio voluntaria siue non contentiosa fuit Proconsulis.

l. 2. D. de Offic. Proconsul. VLP. IANVS Lib. I. Disputationum: Proconsul ubique quidem proconsularia insignia habet, statim atque urbem egressus est: Potestatem autem non exercet, nisi in ea provincia sola, quae ei decreta est.

l. 1. D. eod. & Lib. I. de Offic. Proconsul.

Posthaec ingressus provinciam, mandare Iurisdictionem Legato suo debet: nec hoc ante facere, quam fuerit provinciam ingressus. Est enim perquam absurdum, antequam ipse Iurisdictionem nanciscatur (nec enim prius ei competit, quam in eam provinciam venerit) alii eam mandare, quam non habet: sed si et ante fecerit, et ingressus provinciam in eadem voluntate fuerit; credendum est, videri Legatum habere Iurisdictionem, non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo provinciam Proconsul ingressus est.

l. 4. §. 6. D. eod. Pugnare videntur MARCIANVS et VLP. IANVS. Ille: Proconsules statim, quam urbem egressi fuerint, habent Iurisdictionem. Hic: Nec enim ei prius competit Iurdictio, quam in eam provinciam venerit. Sed videntur. Habent Iurisdictionem Proconsules, dum in vrbe sunt; qui enim non habeant, quod a Populo vel Principe datum est? Sed in vrbe nec utuntur insignibus, nec vlllo modo potestatem exercent antiquissimis moribus, ob praesentem Populi vel Principis maiestatem, cuius praesentia, vt PLINIANA a) voce vtar, eorum dignitas inumbratur: Urbem egressi ha-

C 2 bent

a) Panegy. cap. 19. Similem in modum TACITVS Annal. XIV. 47. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, fama, in quantum praecumbrante Imperatoris fastigio datur, clarus.

bent Iurisdictionem, et Proconsularibus insignibus utuntur, nisi quod in aliena prouincia destituuntur Tribunali. Quae adeo citra illud fieri possunt, in iis habent Iurisdictionem; vbi cognitione et decreto opus, non habent; in ea autem prouincia, quae decreta est, potestatem omnem exercent. Quare mihi verius videtur, esse omnino illam Iurisdictionem, quam extra suam prouinciam et extra urbem exercent, voluntariam, neque tamen eam ideo finiri, *quae voluntate agentium constat, sed quae ita voluntate agentium constat, ut nulla in ea re cognitio versetur.* Ut adeo ad hanc referam, Manumissionem liberorum, Manumissionem feruorum, Adoptionem *l. 2. D. de Offic. Proconsf.* non aequae Manumissionem serui a minore XX annis ex L. Aelia Sentia faciendam. §. 4 *I. Quib. ex caus. Manum. non lic.* Transactionem de alimentis testamento relicto, *l. 8. § 3. D. de Transaction.* Alienationem praediorum minoris, *l. 1. D. de reb. eor. qui sub iur.* Tutoris dationem, quod inquisitione, consilio, cognitione ex LL. Atilia, Iulia et Titia, Principum constitutionibus, Oratione Seueri, Oratione Diui Marci, Lege Aelia Sentia, opus sit, multo minus Adrogationem, quae licet inter volentes fiat, principali tamen rescripto perficitur. a) Proconsul urbem egressus, habet voluntariam Iurisdictionem, an etiam egressus prouinciam, immo in prouincia post successoris aduentum decedens prouincia? Ita videtur per *l. 16.*

- a) Scripseram: *Adoptionem aut Legitimationem*, quod posterius consultamente deleui. Cum enim in hoc loco mihi vnice sermo sit de Iurisdictione voluntaria Proconsulis, quam vnquam Ius vetus et Digestorum Leges norunt, nihil ad eam pertinere videtur Legitimatio, quam Iuris noui et Legum Codicis habeo inuentum. Legitimatio per subsequens Matrimonium, Constantini M. Christiana sacra professi *Uenusa*, v. l. 5. C. de *Natural. Lib.* et Legitimatio per oblationem Curiae, Theodosii Iunioris fetus, v. l. 5. C. de *Natural. Lib.* ad Iurisdictionem prorsus non pertingunt. Legitimatio autem per rescriptum Principis demum a Iustiniano nostro in Nou. LXXXIX. c. 9. et 10. est reperta, qua aetate vetus illud Proconsulare Imperium, et instituta cum eo per Prouincias Profectio dudum expirauerat.

l. 16. D. de Offic. Proconsf. Sed nec iniucundum erit quae- Non aequae
Praefidis Pro-
vinciae.
rere, an et Praefes provinciae eodem iure vtatur, maxime
cum ad modum potestatis Proconfularis maius Imperium
in sua provincia habeat omnibus post Principem, *l. 8. D. de
Offic. Proconsf. & l. 4. D. de Offic. Praef.* quae utraque est ex
VLPIANI Lib. XXXIX. ad Edictum. Affirmare vetant a)
cum iuris nostri loca, *l. 3. et 17. D. de Offic. Praef.* tum DIO
Lib. LIII. Τα τε τῆς ἡγεμονίας κοσμήματα, ὅταν ἐς τὴν πρετε-
ραγωγμένη σφίσι χάριαν ἐσέλθωσιν, ἐκότεροι (οἱ ἀντιπροσώτοι δὲ
καὶ οἱ αἰσι γε ἐν ἐν τῶν ὑπατευόντων ἐσὶ) ὁμοίως ἀντιλαμβάνεσθαι.
καὶ ἐπειδὴν διὰ ζῶσιν, ἐϋδὸς κωταρῖθενται.

VII. Non abs re erit, hoc in loco dispicere, num te- An testamen-
torum et do-
nationum in
sinuatio ad
Iurisdictio-
nem volunta-
riam perti-
nerit?
stamentorum et donationum insinuationes voluntariae Iu-
risdictionis species auxerint? Negat SCIPIO GENTILIS
de Iurisdict. Lib. I. cap. 29. duplici usus ratione, quod in his
rebus neque Iurisdictio villa vel auctoritas magistratus impe-
riumue versetur, et quod in Nou. XV. c. 3. pr. ubi agi, pos-
se apud Defensores testamentorum insinuationes et donationes,
dicitur, non valente Clarissimo provinciae Iudice prohibere,
quod agendum est; attamen illa non posse agi constituatur,
quae iurisdictione egent, et ex ipsa iudicum auctoritate pen-
dent, ex qua adeo lege clarissime appareat, testamenta et
donationes confirmandi potestatem dari Defensoribus, simul
eandem a Iurisdictionis causis separari, et has Defensoribus
adimi. Me, vt verum fatear, haec doctissimi Viri non mul-
tum mouent. Nam ille ad preces testari vel donare vo-
lentis assensus, ille actorum conficiendorum iussus, illa pu-
blicatio, qua privati hominis voluntas, vt in *l. 30. C. de Donat.*
dicitur, inconcussam ac perpetuam obtinet firmitatem, ad
Iurisdictionem, Auctoritatem, et Imperium pertinere vi-
dentur. Quod vero ad Nou. XV. attinet, verba: *quae Iu-
risdictione egent,* ipse Imperator explicat, *quae ex ipsa Iudi-
cum*

C 3

a) Quod, qui intelligi debeat, vide explicatum infra Cap. II. §. 4.



cum auctoritate pendent, id est, quae vnice Iudicum, puta maiorum, auctoritate confici possunt, et debent; in quae, dum inuadere vetantur Defensores, non ideo negatur, ea, quae cum Defensoribus sunt communicata, si a Praefidibus fiant, ad eorum Iurisdictionem pertinere. Exemplo res fiet clarior. Emancipationem et Manumissionem Iurisdictionis esse, immo voluntariae Iurisdictionis, negari non potest. Sed PAVLVS Lib. II. Tit. 25. Recept. Sentent. *Apud Magistratus, inquit, Municipales, si habeant Legis actionem, emancipari et manumitti potest.* Haec adeo alicubi Iurisdictione non egebant, nec ex ipsa Iudicum maiorum auctoritate vnice pendeabant; At Emancipationes et Manumissiones apud ipsum illarum prouinciarum Praesidem factas, Iurisdictionis esse, esse voluntariae, ideo quis negarit? Nihilominus tamen minus verum videtur, veteri iure Insignationes testamentorum et donationum ad voluntariam Iurisdictionem nunquam pertinuisse, quod ea tempestate, qua Proconsules cum insignibus in Prouincias proficiscerentur, tale ius ignoraretur; ea vero tempestate, qua hoc inualuit, illud Proconsulare iter dudum exoleuisset, et istius temporis Prouinciarum Rectores magis Praesidum iure uterentur, quos et ipsos sub primis Principibus ista Iurisdictione caruisse, a) modo docuimus. Quibus si quis obuertat: se nondum in illam meam sententiam concessisse; se finire voluntariam Iurisdictionem, cuius causa licuerit quemcunque Iudicem, etiam alterius Prouinciae Proconsulem vel Praesidem, vel inter plures eiusdem prouinciae magistratus, quemcunque, alieni forte Municipii Duumviros Defensoresque adire; saltim, hoc sensu, ius nouum Voluntariam Iurisdictionem non ignorasse, huiusque eximias prorsus species istas insinuationes fuisse; amice repono: num iure nouo voluntariae iurisdictionis nomen

a) Quo sensu hoc a me dicatur, vt ex Cap. II. §. 4. hauriatur, iterum moneo.

An iure nouo?

An iure antiquo?

An iure antiquo?

An iure antiquo?

nomen occurrat, et, si forte occurrat, ita finiatur, me ignorare; ita dici, ita finiiri posse, me non negare; num autem, ista etiam definitione admissa, testamentorum et donationum insinuationes comprehendi possint, id esse, de quo curatius dispiciendum, quod ut fiat, primo quidem loco de donationibus dicamus, deinde de testamentis. De illis est Rescriptum LEONIS ad Constantinum P. P. luculentissimum:

An donatio-
nes?

*In hac sacratissima vrbe conscriptae donationes ubicunque postiarum rerum, apud Magistrum census insinuentur. In aliis vero ciuitatibus, siue absens, siue praesens re-
tor provinciae sit, siue eadem ciuitas habeat Magistra-
tus, siue non habeat, et Defensor tantummodo sit: dona-
tor habeat liberam facultatem, donationes rerum suarum
ubicunque postiarum, siue apud Moderatorem cuiuslibet
provinciae, siue apud Magistratus, siue apud Defensorem
cuiuscunque ciuitatis prout maluerit, publicare. Atque
ut ipsa donatio sita est in voluntate donantis, ita ei liceat
donationem suam, apud quemcunque ex memoratis vo-
luerit, intimare: et hae donationes, quae in diuersis pro-
uinciis, et ciuitatibus apud quemlibet ex praedictis fue-
rint publicatae, obtineant inconcussam ac perpetuam fir-
mitatem. Datum 5. Non. Mart. Constant. FABRICIO
et RICHOMERE COSS. 459.*

l. 30. C. de Donat. vi cuius lubens largior, a) fuisse liberrimum insinuatoris arbitrium, ita ut et Regiae urbis ciues quemcunque

a) Ita ista tempestate sentiebam. Nunc, postquam eandem legem saepe numero sum meditatns, tentari posse existimo, ut et illa LEONIS constitutio tam late non accipiatur, quam vulgo fieri solet. Laxauit LEO vincula, quibus CONSTANTINVS insinuationes donationum constrinxerat, non prorsus dissoluit, aut sustulit. Dicam prius, quid LEO hac sua lege donantibus remisit, deinde, quid Interpretes, in eadem lege remissum esse, temere sibi mihiq; persuaserint. Primum voluit LEO, ut in insinuationibus non amplius inspiciatur, quo in loco res donatae sitae sint, sed donantium haec tenus sit liberum arbitrium, et personalis insinuationum causa. Verba LEONIS: *In hac sacratissima vrbe conscriptae donationes VBI-
CYNQVE*

cunq̄ue Magistratum, et prouinciales Magistrum census adire potuerint, simul tamen animaduertere iubeo, et Ciuium et Prouincialium in Vrbe donantium actus ad Magistri census monumenta ita fuisse alligatos, vt pro voluntate officium

CVNQVE positarum rerum, atque iterum: *In aliis vero ciuitatibus* - - - *donationes rerum suarum VBICVNQVE* positarum. Aliter olim CONSTANTINVS in l. 3. *C. Theod. de donation.* quae infra C. II. §. 4. existat integra, verbis: *vt nulli liceat extra prouinciam LAREMQVE SVVM* donationum instrumenta apud AEA allegare, sed in quo domicilium habuerit, atque POSSESSIONES CONSTITVTAE sunt. Deinde permittit LEO, vt donaturi insinuationis causa vel summum suae Prouinciae Rectorem, vel ciuitatis suae Magistratum defensoresue adeat, et a Iudice vel maiore vel minore, suo tamen, acta confici petant. Verba LEONIS: *donator habeat liberam facultatem donationes* - - - *SIVE* apud Moderatorem cuiuslibet Prouinciae, *SIVE* apud Magistratum, *SIVE* apud defensorem cuiuscunq̄ue ciuitatis, prout maluerit, publicare. Aliter olim CONSTANTINVS verbis: apud SVVM ORDINARIVM IUDICEM, vel si eum abesse contigerit, apud Curatorem Municipalesue EIVSDEM CIVITATIS. Ad haec duo: non rerum situm sed donantis personam in insinuationibus spectandam, et, donanti esse facultatem hanc rem vel apud maiorem prouinciae vel minorem ciuitatis magistratum peragendi, omnia redire videntur, quae LEO indulgit: quae praeterea ex hac lege ab Interpretibus deriuantur, non insunt eidem, sed inferuntur, quos secutus in hoc loco male scripsi: *fuisse liberrimum insinuatoris arbitrium, ita vt et Regiae urbis ciues quemcunq̄ue Magistratum, et Prouinciales Magistrum Census adire potuerint.* Offenderunt boni illi viri ad verba Legis LEONINAE: apud Moderatorem CVIVS LIBET Prouinciae, item: apud defensorem CVIVS VNQVE ciuitatis, tanquam ad scopulum, et sibi persuaferunt, modo allata verba, cuiuslibet Moderatori Prouinciae, cuiuslibet Magistratum et Defensori actorum, insinuationis causa, sed inter suos ciues, conficiendorum potestatem concedentia idem valere, ac si LEO dixisset: quemlibet donantem cuiuscunq̄ue prouinciae, cuiuscunq̄ue ciuitatis, apud quemcunq̄ue Moderatorem prouinciae, cuiuscunq̄ue ciuitatis Magistratum aut Defensorem donationes suas posse publicare; quod ipsum quantum a LEONIS verbis abeat, quis non videt? Quo illa protus otiosa: *In aliis vero ciuitatibus, siue absens, siue praesens Rector prouinciae sit, siue eadem ciuitas habeat magistratus, siue non habeat, et defensor tantummodo sit:* Quo illa, inquam, si verum est, quod volunt Doctores, licere cuiuslibet donatori apud quemlibet magistratum donationem suam

cium censuale negligere, et quemcunque iudicem urbani-
 cum eligere non licuerit, quod ab omnimoda voluntariae
 Jurisdictionis natura perquam abhorret. De Testamentis *An testamen-*
 subfi- *ta?*

suam insinuare? An interest mea, si ad vicinae provinciae Rectorem insi-
 nationis causa proficisci animus est, scire, hoc mihi licere, siue praefens,
 siue absens rector meae provinciae sit? An refert mea, si vicinae civitatis
 municipalis Magistratum municipalei eiusdem rei causa adire constitu-
 tum, prius nosse, hoc mihi permissum, siue civitas mea habeat Magistratus,
 siue non habeat, et defensor tantummodo sit? Inspida haec sunt et *avisa-*
ta, si vulgata sententiam teneas; sin meam, commodissimo sensu. Pro-
 vinciali licet insinuare vel apud Rectorem provinciae, vel apud Magistra-
 tum Municipii. Illud fiet, siue praefens siue absens sit Rector Provinciae;
 nempe, licet donatori municipali, non tantum fortuita Praefidis praesentia
 uti, sed etiam ad eum insinuationis causa proficisci. Hoc fiet, si Ma-
 gistratus est, apud Magistratum, sin tantummodo defensor, etiam apud
 hunc, ne quis dubitet. Eadem in sequentibus sollicito repetuntur: *donator*
habeat liberam voluntatem, donationis rerum suarum ubicunque posi-
tarum, SIVE apud Moderatorem cuiuslibet provinciae, SIVE apud Ma-
gistratus, SIVE apud Defensorem cuiuscunque civitatis, PROVT MAL-
VERIT, publicare. Quae demum cunque sit provincia, ait LEO,
 apud Moderatorem, istius Provinciae civi, quae demum cunque sit civitas,
 apud Magistratum, vel etiam Defensorem, istius civitatis municipali li-
 cet insinuare, PROVT MALVERIT, id est, prouti ex duobus, maiore
 minoreve iudice, alterum elegerit. Adde e sequentibus verba: *apud quemcun-*
que EX MEMORATIS, atque iterum: apud quemlibet EX PRAEDI-
CTIS; quae vocis: *quemcunque*, item: *quemlibet*, hic esse potestatem non
 omnimodam, sed restrictam, satis indicant. Ita etiam Iuri Provinciali cum
 observantia regiae urbis magis convenit: huius civis peculiari utuntur Ma-
 gistratu, Magistro census, vide L. 32. C. de donationibus, vbi, quae LEO-
 NIS in hac causa fuerit mens, ANASTASIVS Imp. authentice decla-
 rat. Provinciales ad Magistratus municipales accedunt, et, si isdem
 non satis fidunt, ad Praesidem qui, si res tanti est, Magistri cen-
 sus officio fungitur. Denique in hunc modum a rigore Legum prius
 latarum quam minimum recedimus, quod et ipsum bonae interpreta-
 tionis regulis perquam consentaneum est. Nouo itaque, eoque luculen-
 to, vt opinor, exemplo demonstratum, nos saepissime, non *Iure Romano*,
 cuius auctoritatem tantopere crepant Interpretum nonnulli, sed *Baroli-*
sico vos.

D

subfisto, et num illa iure nouo fuerint voluntariae Iurisdictionis, ita vt supralargitus sum, definitae, etiam atque etiam dubito, quod hi fere mirabuntur, qui ex nostri temporis vfu antiquitatem metiri, aut interpretum communes sententias prae ipsis veterum legum oraculis sectari sunt soliti. Prima cura fit de testamentis in regia vrbe conditis, quae, tantum abest, vt apud quemcunque iudicem confici poterint, vt potius grauiſſima lege IUSTINIANI, quae est *XXIII. C. de Testamentis*, Iudices quorumlibet tribunalium et Defensores Ecclesiarum praemoneantur, ne rem attingant, quae nemini prorsus omnium, secundum constitutionum praecpta, quam census Magistro competit, obiecto Clericis opprobrio, si peritos se velint disceptationum esse forensium, et poena tmeratoribus proposita quinquaginta librarum auri. Rem in vrbe summa cura comprehensam, peculiari Magistratui creditam, poena graui sancitam, in prouinciis priuatorum lubricini relictam, cuiuscunque iudicis fidei commissam esse, vt credam, difficulter adducor. At quidni? inquit vulgatissimae sententiae Patroni, vtamur donationum exemplo, quae in vrbe apud Magistrum census insinuatae sunt, extra urbem apud quodcunque tribunal. Ego vero non quaero, a) quid nos interpretando valeamus consequi, sed quid Romae factum sit atque constitutum; maxime cum mihi videatur multum interesse inter donationem, quae intra certam solidorum summam, absque omni iudiciali auctoritate, aliaque solennitate fieri poterat, viuoque donatore exitum plerumque habebat; et inter vltimam voluntatem, quae nunquam non solenniter et iudicialiter conficienda erat, et sanctum illud de vniuersitate bonorum arbitrium, non nisi subducto testatore valiturum, continebat:

Immo

a) Immo vero per ea, quae ad LEONIS Constitutionem in nota proluxa nouiter dicta sunt, longe fortius nunc infero: si donationum insinuationes non nisi coram ordinario iudice, vel maiore vel minore, IMPP fieri voluerunt; multo magis idem de testamentis eisdem placuisse.

Immo a donatoribus quoque adeundum fuisse ordinarium domicilii Iudicem, et si hoc praetermissum fuerit, nullam firmitatem habere donationes, apertissima Lege fanciuit CONSTANTINUS A. quae est III. Cod. Theod. de Donat. quod ab HONORIO ET THEODOSIO AA. in l. VIII. Cod. Theod. eod. a) (quorum verbis ad sat impudicum Emblemata abusus

a) Opus est, vt et huius legis verba adscribam, cum ad illustranda ea, quas supra ad L. LEONIS dicta sunt, apprime faciant.

Impp. Honorius et THEODOSIVS AA. Aveliano
P. P.

Donationes debere sortiri perpetuam firmitatem, quas corporalis traditio fuerit subsecuta, sancimus, ne ususfructus exceptio pro traditione possit intelligi. Qui enim post liberalitatem re donata perfrui concupiscit, hoc sibi, quo voluerit modo, consignata videlicet possessione, debet praecipuum custodire, ne imperfecta vacillet donatio. ¶ Gestorum quoque confectionem, siue ante traditionem, siue post traditionem fieri oportebit, vt instrumentum, quo continetur munificentia, apud acta publicetur. ¶ In hac quidem urbe, apud Magistrum censu, in Prouinciis vero apud Prouinciarum Rectores: vel, si praesto non fuerint, apud Magistratus municipales: vel si ciuitas ea vel oppidum, in quo donatio celebratur, non habeat Magistratus, apud Defensorem Plebis, in qualibet ciuitate fuerit reperas: Curatores enim ciuitatum ab huiusmodi negotio temperare debeant, ne tanta res eorum concidat vilitate; sed itam allegatas apud Curatores donationes et gesta consecuta valere necesse est: In posterum omnibus, quae statuta sunt obseruandis: quoniam si quid fuerit praetermissum, nullius momenti videbitur donatio. ¶ Gestis autem confici super rebus, etiam alibi conlocatis, vbicunque sufficet, ita et traditio corporalis in locis, ubi res donata consistit, omnimodo celebretur. Dat. 10. Kal. April. Constp. DD, NN. Honorio X. et Theodosio VI. AA. CONSS. (415)

De qua lege obseruamus, esse eam illa LEONIS, quae est XXX. C. Iustin. de donationibus, priorem: Lege autem CONSTANTINI, quam paulo ante cum constitutione LEONIS comparauimus, posteriorem: et quatuor continere capita, quorum posteriora duo ad nostram rem pertinent, tertium de Magistratibus, apud quos insinatio donationum fieri debet, et quartum, Gesta illa vbicunque, super rebus etiam alibi conlocatis, posse fieri. Magistratus illi sunt, prorsus vt

D 2 in

sus est TRIBONIANVS in l. 27. C. de Donation.) et a LEONE in l. 30. C. eod. immutatum esse, vt lubens agnosco, a) ita similem de Testamentis legem adhuc requiro. Doctores, quotquot eius rei gratia consului, omnes ad l. 19. C. de Testamentis prouocant, longe, si Diis placet, clarissimam. Verba sunt:

Sicut ergo securus erit, qui actis cuiuscunque Iudicis, aut municipum, aut auribus priuatorum mentis suae postremum publicauit Iudicium: ita nec de eius vquam successione tractabitur, qui nobis mediis, et toto iure (quod in nostris est scriptis constitutum) teste succedit.

Non repetam, quae de ἀλλήλοκληρονομία coniugum, eoque pertinente vera Legis sententia, VIR omnium laudes supergressus ad l. 6. Cod. Theod. de Inoffic. Testam. doctissime est commentatus, quod verear voces saepe auditas: Quicquid HONORIS senserit, id nihil ad nos; IUSTINIANVM omnia sua fecisse. Quare ita incedam. Coepit dubio procul testamenti iudicialis robur ab ordinarii Iudicis auctoritate; id non mutauit CONSTANTINVS, qui et donatio-

nes

in LEONIS Lege, Prouinciarum Rectores, Magistratus Municipales, vel si CIVITAS EA vel OPPIDVM, IN QVO DONATIO CELEBRATVR, non habeat Magistratus, Defensores Plebis. Ad suae itaque ciuitatis vel dūmuiros vel defensores, ille, qui donationem celebrat, est obstrictus, alienae ciuitatis magistratus adire non licebat, ne quidem Rectorem Prouinciae, nisi praesto fuerit. Vbicunque gesta conficere licet de rebus alibi collocatis, id est, quo demum cunque in loco donantes habitent et versentur, ibi iisdem licet, de rebus alibi sitis donationes celebrare, et apud memoratos iudices insinuare. Quid LEO in l. 30. C. de donationibus? Hoc HONORII ET THEODOSII IMPP. Constitutioni, qua rigorem CONSTANTINI ipsiam immutari coeperant, addidit, vt Rectorem Prouinciae, etiam absentem adire liceat, siue absens, siue praesens rector prouinciae sit, quibus verbis ei, quod HONORII ET THEODOSII constituerant: vel, SI PRAESTO NON FVERINT, apud Magistratus municipales, derogauit. Vides, quam pauca innouare voluerit LEO; cui adeo tam prolixam cuncta innouandi voluntatem minus recte tribuunt Doctores.

a) Contrarium mihi nunc videri verius ex dictis liquet.

nes eo remisit; nec HONORIVS, cui in illa lege de ordinando testamento Principi per preces oblato vnice sermo est: nec THEODOSIVS, qui tamen in donationibus hoc innouauit: a) nec LEO, cuius grauissimam legem de donationibus supra attulimus: b) an IVSTINIANVS? verbis scilicet HONORII, aliud agens. Nae, ille ingenium FLAVII nostri minus habet cognitum atque perspectum, qui sibi persuadet, eum in tanta re vno verbulo potuisse defungi. Quare ego quidem hactenus existimo, illas voces: *cuiuscunque iudicis*, non esse dispositiuas, vt loqui solent, siue Iuris commutati, sed enunciatiuas, siue Iuris ordinarii, et exinde de ordinario vnus cuiusque testatoris Iudice accipiendas, cuius auctoritate, vt et municipum, et priuatorum cum extrema publicentur iudicia, minus dubitari debeat in posterum, successiones, Imperatore medio et toto iure tractatas, fore ratas. Scilicet recte Imperator *cuiuscunque iudicis* in hac lege meminit, quod omnis generis iudicibus illa testamenta suscipiendi potestas fuerit permisa, cui vim facere videntur illi, qui volunt, vno illo verbulo ordinarii iudicis auctoritatem esse infractam, testantibusque quemcunque iudicem seligendi tributum arbitrium. Non spernendum est, quod DIONYS. GOTHOFREDVS annotat ad illa verba: *cuiuscunque iudicis: sui tamen v. l. 18. eod.* quorum verborum haec viderur esse sententia: Vti Magistrum census, ordinarii in vrbe iudicis, mansit post hanc Legem illibata potestas *d. l. 18.* et magis *l. 23.* ipsius IVSTINIANI, ita iudicium suorum ordinariorumque auctoritati nihil decessit. Non licuit huius vnus rei causa omnes vastissimi Iuris nostri perreptare angulos; qui loco clariori me fuisse fallum ostendet, ei, praeter doctrinae laudem, lubens debebo *μηνυργον*, sed et minerval, si rationem audiero, qui

D 3

- a) Nunc scripserim: qui ne in donationibus eatenus quicquam innovavit.
 b) Nunc scripserim: qui, licet Legem Theodosii resingeret, tamen ne in donationibus quidem tale quid fieri voluit.

qui factum sit, ut in Vrbe officio censuali vnice deberetur, quod in provinciis promiscuae licentiae fuisse, eiusmodi iudicio constabit.

Mixti Imperii
Natura.

VIII. ULPIANVS Lib. II. de Offic. Quaest. a)

Mixtum est imperium, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia.

l. 3. D. de Iurisdict. IDEM Lib. I. Regularum:

Ius dicentis officium latissimum est: nam et bonorum possessionem dare potest, et in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores, constituere, iudices litigantibus dare.

l. 1. D. b. T. IDEM Lib. I. ad Edictum:

Iubere caueri praetoria stipulatione, et in possessionem mittere, Imperii magis est, quam Iurisditionis.

l. 4. D. b. t. IAVOLENVS Lib. VI. ex Cassio:

Cui Iurisdictio data est, b) ea quoque concessa esse videtur, sine quibus Iurisdictio explicari non potuit.

l. 2. D. b. t. Elegantissime vir, qui IAC. CVIACIVM a Iure tractando deterruisse poterat, si tanto ingenio tamque subtili labores ciuilium studiorum serio tractare voluisset, c) ANTONIVS, inquam GOVEANVS de Iurisdict. Lib. II. d) Omne namque magistratus potestatisue imperium, aut in coercionem, aut in iure dicundo positum est: quarum duarum rerum causa omnia iudicia inuenta, instituitque adeo sunt ipsa Magistratus. Prius illud, imperium, in duo genera discedit, quia scilicet non plures animaduersionum species: grauior quaedam, quae ex eo, quod vti iam docuimus, iurisditionem non sequitur, merum imperium dicitur: e) quaedam vero modica,

a) Vid. EM. MERILLIVM *Observ. Lib. II. Cap. 30.*

b) Vid. EM. MERILLIVM *Observ. Lib. VI. Cap. 12.*

c) Ipse CVIACIVS apud MASSONIVM in *Vita.*

d) p. m. 79.

e) Quod ipsum minus recte docuisse supra §. V. diximus.

ca, quae, quia nunquam a iurisdictione discedit, a) *mistum imperium, siue non merum appellatur. Quod autem in iure dicundo positum est, aut in decernendo (decernere nunc late dico, ut cum bonorum possessionem Praetor dat) aut in dandis iudicibus versatur, iisque duobus veluti limitibus vniuersa Praetoris Urbani prouincia continetur. Et paulo post: Huius imperii (Praetorii) ut diximus, sunt: decernere et iudices dare. Decernere autem non solum causa cognita, quomodo fere dicitur decernere, verum etiam sine causae cognitione in l. si finita 15. §. illud 32. de Damno infecto, et aliis locis compluribus. Neque immerito, cum iure magistratus quid Praetor facit, imperare dicitur, cum imperium pro magistratu interdum usurpetur, ut in l. cum Praetor 12. de Iudic. Cicero Lib. III. de Legibus: Iusta imperia sunt, hoc est, magistratus legitime creantur. Iudicis autem dandi licentia, quemadmodum iurisdictione dicatur, considerandum est. Et puto eo iurisdictionem dici, quia ad officium pertineat ius dicentis, neque ad coercionem pertineat.* In eundem modum de mixto imperii partibus duabus, Decreto et Iudicis Datione, tradit *Clar. NOODTIUS Lib. I. Cap. V. de Iurisdic. et Imperio, GOVEANO* ne nominato quidem: qua in re factum equidem ipsum, immo non factum ita interpretari nolim, ac si Vir de arte nostra egregie meritis non minus merito inuidisset; morem tamen priorum laudibus perniciosum, non possum non improbare. In summa, Mixto Imperio iurisdictione inest. Eius adeo vi Praetor vel Praeses aut Proconsul decernit ipse, vel iudices dat. Sed et decernit, ubi iubet caueri stipulatione Praetoria, vbi in possessionem mittit, vbi bonorum possessionem dat, vbi tutores constituit, in qua tamen iurisdictione sunt nonnulla *ἀρχιυράγεια*, aut, ut *GOVEANI* iterum verbis utar, aliae partes sunt magis Imperiosae, aliae magis Iuridicae. Latissimum adeo ius dicentis officium, quod

a) Quam ab ea discedere d. §. V. docuimus.

quod et illa sequuntur, sine quibus explicari non potest, contumacium hominum coercitio.

*Ius dicebatur
vel iure Ma-
gistratus vel
ex speciali Le-
ge.*

IX. Ius dicentis officium latissimum, fons illius non vnus. Quicquid enim pro imperio suo faciebat Magistratus Romanus, aut iure sui magistratus faciebat, more maiorum, aut, quod id Lex, Senatusconsultum, aut Principis Constitutio, specialiter iuberet. Huius praecipua capita sunt: Adoptio, *l. 4. D. de Adopt. l. 1. D. de Offic. Iurid. l. 1. C. de Adopt. Emancipatio, d. l. 4. D. de Adopt. Manumissio, § 4. I. quibus ex caus. manum. non licet l. 21. D. de manum. vindict. Cognitio de alienandis bonis pupilli, l. 1. §. 2. D. de reb. eor. qui sub tut. vel cura sunt. Auctoritatis in transactionibus de alimentis interpositio, l. 8. pr. D. de Transact. Tutoris datio, t. 1. I. de Atil. tutore et qui ex L. lul. et Tit. dabatur. De mero imperio ex Legibus publicorum iudiciorum dicere, non est huius loci. Videtis l. 1. pr. D. de Off. ei. cui mand. est Iurisd.*

*Ius dicens vel
decernebat*

X. Magistratus Populi Romani in iure dicendo vis et potestas in eo maxime consistit, vt aut decernat, l. 3. pr. D. de Minor. aut iudices det. Decernit, vbi tutor confirmandus, l. 2. D. de confirm. tut. Decernit, vbi confirmandus curator, l. 16. D. de Excusat. Decernit, vbi constituendus actor periculo tutoris, l. 24. D. de Administr. et peric. tut. et curat. Decernit bonorum possessionem, quae inde decretalis appellata, l. 1. §. 7. D. de Success. Edict. l. 2. §. 1. D. quis ordo in possess. seru. l. 3. §. 8. D. de bonor. possess. Decernit alimentia, l. 2. §. 2. l. 3. D. vbi Pup. mor. vel educ. deb. l. 27. §. 3. D. de inoff. Test. Decernit, vbi scripti heredes ante aditam hereditatem cum creditoribus pacti sunt, l. 54. §. vlt. D. de manumiss. test. l. 7. §. vlt. D. de pactis. Decernit separationem, l. 1. D. de separat. Decernit missionem in possessionem, l. 15. §. 22. D. de damn. infect. l. 3. D. ne vis fiat ei qui in possess. l. 12. D. vt in possess. legat. Decernit, iuste abesse, l. 30. pr. D. de fideic. liberat. Decernit, vbi in integrum restituit, l. 29. §. 2. l. 47. §. 1. D. de Minor. Decernit actionem, l. 55. §. 1. D. de fideic.

fideic. libertat. l. 2. §. 3. D. de vulg. et pupill. substit. Decernit, ut rationes edantur, *l. 8. §. 1. D. de Edendo.* Decernit translationem iudicii, *l. 15. D. de noxal. action.* Decernit denique, vbi pronunciat *l. 1. C. si adu. libert.* Sed et iudices dat. Scilicet inter litigantes versabatur aut quaestio iuris, aut quaestio facti. In illa priori, iuris quaestione, videndum erat, num secundum iura, leges, mores, aequum et bonum iusta sit postulatio, an vero iusta contradicentis exceptio, vbi simul vel de facto profus constabat, vel si non constabat illa de iure quaestio, alteram, quae facti esse poterat, ad se trahebat. Hoc in loco, cum de re maximi momenti, de iuris interpretatione ageretur, in vrbe ipse Praetor, cum Consilio suo, Decemuiris Sclitibus iudicandis, et, si rei gravitas id poscebat, cum Centumuiris cognoscebat, et iudicabat. Etiam in prouincia ipse Praefes vel Proconsul saltim cum Recuperatoribus controuersiam dirimebat. In posteriori quaestione, quae fere de facto erat, Praetor, nisi forte res esset extraordinariae cognitionis, iudicem causae dabat, vel forte electum, partibus non recusantibus, vel conuentione consensuque litigantium, ex albo tamen et selectis vnum, vt opinor, non de medio Populi, quod NOODTIVS mavult, qui a Praetore partibus addictus, ex formula, in loco, quem formula comprehenderat Praetor, vel vbi solebat iudicium sine incommodo litigantium fieri, etiam ICris sibi in consilium adscitis, de plano tamen et pedaneus, vel, vti GOVEANVS, pedarius iudicabat. De his dicendi locus alibi futurus est, et dixit egregie multis cum Autorum veterum, tum Librorum nostrorum locis congestis laudatus NOODTIVS de *Iurisdict. et Imper.* Lib. I. cap. XIII. seqq.

XI. Est tamen, quod huc pertinet, et quod paullo diligentius explicabo, nempe quid sit extra ordinem ius dicere, maxime cum videam, Cl. NOODTIVM id leuiter attigisse, et quod inde fieri assolet, alicubi esse lapsum. Ordinarium ius est consueta iuris forma, Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS Cytichio:

Quot et quibus modis olim dictum sit: Ius dici extra ordinem.

E

Ordi-

Ordinarii iuris est, ut, mancipiorum orta quaestione, prius, exhibitis mancipiis, de possessione iudicetur, ac tunc demum proprietatis causa ab eodem iudice decidatur.

l. 13. C. de rei vindicat. A quo si quacunque ratione discedatur, extra ordinem illud fieri dicitur. a) Ita decem Tribuni plebis, Consules duo, decem et octo Praetores, sex Aediles in ciuitate ius reddebant, *l. 2. §. 34. D. de Orig. Iur.* Sed et erant Romae constituti, qui extra ordinem ius dicerent, *l. 7. §. 2. D. de Offic. Procons.* qualem fuisse Praefectum anno-nae et Praefectum vigilum ab eodem Pomponio dicitur in *d. l. 2. §. 33. D. de Orig. Iur.* Eodem retulerim Iudices a Vespasiano aliquando extra ordinem datos. SVETONIVS in vita *c. X. Lulium series ubique maiorem in modum excreuerant, manentibus antiquis intercapedine Iurisdictionis, accedentibus novis, ex condicione tumultuque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur: quique iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breuissimum numerum.* Sed et Magistratibus ordinariis, ut extra ordinem ius redderent, Legibus, Sctis et Principum Constitutionibus iniunctum est. Ita Claudius, SVETONIO teste in vita eius *cap. xxxiii.* sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur, collato §. 3. *l. de Atil. Tutore.* Ita ex Edicto de Minoribus, nulla propria actio vel cautio proficiscebatur, totum enim hoc pendeat ex Praetoris cognitione

a) Immo si a cuiuscunque rei consueta forma discederetur id extra ordinem fieri dicebatur. VALER. MAX. de Catone *L. IV. C. I. n. 14.* *Cypriam pecuniam maxima cum diligentia et sanctitate in urbem deportauerat. Cuius ministerii gratia senatus relationem interponi iubebat, ut Praetoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. Sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse affirmans, quod nulli alii tribueretur, sibi decerni. Ac ne quid in persona sua nonaretur, campestem experiri temeritatem, quam Curiae beneficio vii, satius esse duxit.*

tionem, *l. 2. §. ult. D. de Minoribus*. Ita personis, quae Edicto Praetoris de restitutione maiorum continebantur, ex Senatusconsultis, et principalibus constitutionibus ius extra ordinem dici dicitur, *in l. 2. D. ex quib. caus. mai.* Immo quotiens utilitas reipublicae postulabat, res omiſſa actione cognitioni subiiciebatur, *l. 1. §. 17. 18. D. de Exercit. Act.* Luculentum, ni fallor, exemplum est apud TACITVM Anna. XIII. 51. Neronis temporibus immodestissimi publicani, crebrae ea de re populi flagitationes, vt etiam Nero dubitaret, an cuncta vestigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Impetum hunc attinuit Senatus; edixit tamen Princeps cum alia in hac causa, tum etiam hoc: *Romae Praetor, per prouincias, qui pro praetore aut consule essent, iura aduersus publicanos extra ordinem redderent.* Apud Magistratus ordinarii iuris erat, vt daretur iudex. Excellens locus est SVETONII in Claudio SVETONIVS rectius explicatus. cap. 15. quem eopressius dabo explicatum, quod Virum eximium hic hallucinatum esse deprehendam. TRANQUILLVS de Claudio, postquam dixisset, quod in cognoscendo ac decernendo mira varietate animi fuerit, modo circumspectus ac sagax, modo inconsultus ac praecipuus, nonnunquam frivolus amentique similis: *Cum, inquit, decurias rerum actu expungeret, eum, qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, vt cupidum iudicandi dimisit: alium interpellatum ab aduersariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse, agere causam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum daturum, quam aequus iudex in alieno negotio futurus esset.* Ait SVETONIVS, si NOODTIO L. I. Cap. VII. credas: reum quandam Imperatoris cognitioni in re, quae ordinarii iuris esset, recte atque ordine restitisse, sed Claudium non communi iure, neque ciuili more fecisse, verum Imperatoria et legibus soluta potestate. Scilicet fraudi fuerunt Clarissimo Viro verba illa: *agere causam confestim* APVD SE coegit, quae de Claudio Imperatore interpretatus est, cum

318

E 2

de

de reo ab adversariis interpellato accipiendâ sint, ea prorsus locutione, vt in l. 3. *D. de Adoptionibus* dicitur: *Si Consul, vel Praeses filius familiae sit, posse eum apud semetipsum vel emancipari vel in adoptionem dari constat, et in l. 4. eod. Magistratum, apud quem legis actio est, et emancipare filios suos, et in adoptionem apud se dare posse, Neratii sententia est.* Species apud SVETONIVM talis est: cum Claudius decurias iudicum expungeret, quendam ex illis respondentem, interpellabant aduersarii de propria lite, forte quod inualuisset, minus recte eum, cui propria lis, inter iudices esse. Claudius qui videbat, posse aliquid obiici eiusmodi iudici, neque tamen virum probum ideo recte deleri, vt fuit aliquando sagax, interrogat, num causa illa sit cognitionis, an iuris ordinarii, id est, num notio ad Praetorem, an ad iudicem pedaneum pertineret? ubi ille negavit esse prius, coegit eum, vt confestim ipse suam causam apud seipsum, puta per Procuratorem, ageret, et de proprio negotio ipse, vt iudex pedaneus, statueret, *documentum daturus*, inquit SVETONIVS, *quam aequus iudex in alieno negotio futurus esset*, quae vltima verba NOODTIVM satis de errore monere poterant, sed et priora illa: *cum decurias iudicum expungeret etc. etc.* et quod hic non praecipitis, sed circumspiciti et sagacis Claudii facta traderentur. Nam et quod sequitur perquam sagacis est, feminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrinque argumentorum fide, ad confessionem compulisse, indicto matrimonio iuuenis. In eo equidem imperio vsus est, quod iudicem in propria causa iudicare coegerit, summa sibi illius rei servata inspectione, sed non in eo, quod rem ordinarii iuris cognitioni subiceret, qua in re Claudio restituisse τὸν δῆνα, frustra ait NOODTIVS. Sed redeamus e diverticulo in viam. Magistratus, vt diximus, sunt, qui extra ordinem ius dicunt. Sunt et magistratus ordinarii, qui in certis causis extra ordinem ius dicere iuventur. In ipsa Iurisdictione iuris ordinarii est, iudicem dare,

dare, a) an vero iudices non dare, cognoscere cum Decemuiris, cum Centumuiris, erit extra ordinem cognoscere? Ita loqui amat NOODTIVS *Lib. I. Cap. VII.* ego ordinario iuri cognitionem opposuerim, quod TRANQVILLVS idoneus autor sit, b) quod nullibi repererim iudicia decemviralia, immo centumviralia dicta esse iudicia extraordinaria, quod denique inter ipsas cognitiones nonnullae fuerint extraordinariae, adeoque incongruum videatur, et omnes et nonnullas cognitiones dicere extraordinarias. Ordinarii iuris erat, hoc est, iuris formae congruebat, vt Praetor quaestiones facti ordinario iure dato iudice finiri decerneret, quaestiones iuris cognitione sua dignaretur, qua cognitione, si ob personarum fauorem, in facti etiam quaestionibus, succurrebat, hoc extra ordinem facere, extraordinariamque cognitionem suscipere dicebatur. Illae autem personae sunt fere Praeceptores studiorum liberalium, Rhetores, Grammatici, Geometrae, l. 1. pr. D. de Extraord. cognit. Medici, d. l. 1. §. 1. et 3. Obstetrices, d. l. 1. §. 2. Ludi literarii Magistri, Librarii, Notarii, Calculatores sive Tabularii, d. l. 1. §. 6. omnes denique Artifices, quorum artes non sunt extra literas vel notas positae, d. l. 1. §. 7. Comitès, d. l. 1. §. 8. Aduocati, d. l. 1. §. 10. l. 4. eod. Nutrices, d. l. 1. §. 14. de quarum

E 3

rum

- a) Quid vero est, etiam Iudicem extra ordinem dari? Sane GELLIVS *Noct. Attic. XII. 13.* Quum Romae, inquit a Consulibus extra ordinem datus pronunciare intra Kalendas iussus esset. An quod GELLIVS non esset inter lectos iudices, virtutisque causa atque adeo extra ordinem iudicare esset iussus? An, quod ipsorum Consulium in eiusmodi causis esset cognitio, iidem tamen iudicem extra ordinem dare maluerint, constituto simul die, intra quam pronunciaret? in quam sententiam magis inclino.
- b) Cuius et alter locus non est negligendus in *Tiber. C. 31.* Caetera quoque, non nisi per Magistratus et iure ordinario agebantur, inter laudes nempe Tiberii referens, quod causas civiles ad suam cognitionem non traxerit, potius eas vt res flagitabat, vel Magistratuum cognitioni extraordinariae, vel iudicum pedaneorum notioni, iure ordinario, reliquerit.

rum mercedibus, salariis, nutriciis. Praetor vel Praefes provinciae extra ordinem ius dicere debet. Quid? de fideicommissis cognitio extraordinaria fuisse videtur. Sunt enim quae tradit **VLPIANVS** Lib. XLIX. ad Sabinum:

Persecutionis verbo extraordinarias persecuciones puto contineri, ut puta fideicommissorum, et si quae aliae sunt, quae non habent iuris ordinarii executionem.

l. 178. §. 2. de V. S. maxime si conferantur cum iis, quae habet idem VLPIANVS Tit. XXV. §. 12.

Fideicommissa non per formulam petuntur, ut legata: Sed cognitio est Romae quidem Consulum, aut Praetoris, qui fideicommissarius vocatur, in provinciis vero Praesidem provinciarum.

Manifesta ex utroque loco cognitionis et iuris ordinarii oppositione; quam cognitionem, quotiens facti quaestio coincidit, extraordinariam dicere nullus ambigo, ut ipsam persecutionem ideo extraordinariam dici reor, quod formulae, et omni ordinariae petitioni nunquam in fideicommissio locus. Caue tamen, cum extraordinariis cognitionibus confundas actiones extraordinarias, maxime eas, quae pro interdictis competunt. Illae sunt, quod ibi Praetor vel Praefes extra ordinem cognoscit, etiam incidente facti quaestione. Hae tales dicuntur, quod ab agente conceptio formularum non obseruetur, ut dicitur in *l. 47. §. 1. D. de Negot. gestis*, et quod ad illas, quae pro interdictis competunt, attinet, non reddito interdicto, iudex tamen de facti quaestione daretur. Vid. **IAN. a COSTA ad rubr. Inst. de Interdictis**. Sed et fuit extraordinaria animadversio in criminibus, *l. ult. D. de Furtis*, quoties rei ob delicta quaecunque, non ex lege aliqua publicorum iudiciorum, sed uti religioni iudicantis videbatur, plecebantur. Quicquid denique Praetor praeter formam iuris faciebat, extra ordinem facere dicebatur, verbi causa, ubi Praetor aut Praefes Provinciae, non observato causarum in iudicium deductarum ordine, vnam alteramue extra ordinem

nem tractabat, quod litigantes essent longe venientes. Eleganter SENECA Epistola CVI. *Quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem tibi, de quo quaerebas? Veniebat in contextum operis mei: scis enim me moralem philosophiam velle complecti, et omnes ad eam pertinentes quaestiones explicare.* Haec dubitavi, utrum differrent tuam; donec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem: humanus visum est, tam longe venientem non detinere. Immo et si quis non ciuilliter iniusteque fecerat, quem vocis sensum ex l. ult. §. ult. D. quod metus caus. gest. erit repetitum, inter Iuris nostri εὐφημισμὸς forte non inepte retuleris.

XII. Commodum de Fideicommissis incidit sermo; *Quomodo Ius de quibus QUINTILIANVS praeclare Lib. VII. Cap. VII. dictum, si ad Insit. Orat. edit. Burmann. Tom. I. p. 256. Non debes apud Praetorem petere fideicommissum, sed apud Consules: maior enim Praetoria cognitione summa est.* a) Ex hoc illustramus VLPIANVM Lib. VI. Fideicommissi.

Quotiens de quantitate ad Iuris dictionem pertinente quaeritur, semper, quantum petatur, quaerendum est, non quantum debeat.
 l. 19. de Iurisdict. b) Iecuti VIRVM magnum Obs. XXI. 34. qui ex Inscriptione Leg. XIX. Librum VI. fideicommissorum prae se ferente, hic QUINTILIANVM et ICTVM idem dice-

a) BVDAEVS summam non ad pecuniam et magnitudinem causae refert, sed ad consularem cognitionem, quae summa erat. Ita BURMANNVS ex TVRNEBO, quod annotatum esse, non improbo, absque nota a BURMANNO relictum esse miror. Vt enim verba, quae adscripsimus, hoc interpretationis pati videantur: non tamen patiuntur sequentia: *quaeritur, an maior summa sit: facti controuersia est; nec ipsa res, fidei enim commissi sua natura non pertinere ad summam, id est, consularem cognitionem, Praetor fideicommissarius satis loquitur.*

b) Ad hanc legem SCHILTERVS Ex. ad D. VI. §. 18. in hunc modum commentatur: *h. e. quoties quis eidem aliquot diuersas summas ex diuersis contractibus aut negotiis debet, et de fori competentia ex quantitate debi-*

dicere primus collegit. Sed et in aliis causis summas diuer-
sas diuersa habuisse fora ex GAYO constat, Lib. I. ad Edictum
Prouinciale:

*Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum sin-
gularum quantitas, intra Iurisdictionem iudicantis sit,
coaceruatio vero omnium excedat modum Iurisdictionis
eius, apud eum agi posse, Sabino, Cassio, Proculo pla-
cuit: quae sententia rescripto Imperatoris Antonini
confirmata est. §. 1. Sed et si mutuae sunt actiones, et
alter minorem quantitatem, alter maiorem petat: apud
eundem iudicem agendum est ei, qui quantitatem mino-
rem petit: ne in potestate calumniosa aduersarii mei sit,
an apud eundem litigare possim. §. 2. Si una actio com-
munis sit plurium personarum, veluti familiae heredi-
scundae, communi diuidendo, finium regundorum:
Virum singulae partes spectandae sunt circa Iurisdictionem
eius, qui cognoscit? quod Ofilio et Proculo placet:
quia unusquisque de parte sua litigat, an potius tota res:
quia et tota res in iudicium venit, et vel vni adiudicari
potest? quod et Cassio et Pegaso placet: et sane eorum
a) sententia probabilis est.*

*l. n. D. de Iurisdic. Inter ipsos etiam Iudices vel ab Augu-
sti temporibus summarum discrimen esse obseruatum, SVE-
TONIVS nobis Auctor c. XXXII. Ad tres iudicum decurias
quartam addidit ex inferiore causa, quae ducenariorum vo-
care-*

*ti indicandum, aestimatio non ex collectione totius quanti, vel ut vulgo lo-
quimur, summa summarum, aller Posten, instituenda, sed ex petitione sin-
gularum, de cuiusque foro indicandum est. Minus apposite, quod ad VL-
PIANVM attinet, qui de vna quantitate locutus, de vna actione sensisse
videtur. Quod ait auctor, est sententia GAII in lege proxime allegan-
da, et a SCHILTERO nostro ibidem §. 19. et 21. dextre fatis expli-
cata.*

a) Callii et Pegasi, vt Basilicorum auctoritate recte firmat STRVIVS in
Syntagm. Iur. Ex. IV. thes. 58. adde MERILLIVM Obseruat. Lib. I.
Cap. 4.

cavetur, iudicaretur de leuioribus summis, Ceterum obferuabit magistratus etiam hoc, ex praecepto PAULI, quod iam attulimus: *Extra territorium ius dicenti impune non pareri.* Immo et illud VLPIANI Lib. III. ad Edictum:

Qui Iurisdictioni praeest, neque sibi ius dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel ceteris, quos secum habet.

l. 10. D. h. t. Et illud eiusdem Lib. I. ad Sabinum:

Eum, qui iudicare iubet, magistratum esse oportet. §. 1. Magistratus autem, vel is, qui in potestate aliqua sit (ut puta Proconsul, vel Praetor, vel alii, qui prouincias regunt) iudicare iubere eo die, quo priuati futuri essent, non possunt.

l. 13. D. h. t.

XIII. Magistratus Populi Romani suo iure ius dicunt l. 5. *Ius dicebatur D. de Iurisd.* et propriam a) Iurisdictionem exercent l. 4. *D. Off. ei. cui mand. est Iurisd.* Sed et sunt, qui illud faciunt alieno beneficio, l. 5. *D. de Iurisd.* Hoc facit Legatus Proconsulis, qui iurisdictionem a Proconsule suo accipit. Hoc facit alius quiuis, cui magistratus quicumque suam Iurisdictionem mandat. b) Hoc facit magistratus, qui inter partes suae iurisdictioni non subiectas ex consensu earum ius dicit. Hoc denique

a) CASSIODORVS in formula Vicarii vrbis Romae. VII. 15. *Vices agentium mos est, sic iudicum voluntaribus oboedire, vt suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, et quaedam imago in illis videtur esse veritatis. Tu autem Vicarius diceris, et tua privilegia non relinquis: QUANDO PROPRIA EST IURISDICTIONE, QVAE A PRINCIPE DATVR.*

b) Singulare proffus exemplum mandatae Iurisdictionis, obseruavi apud CAPITOLINVM in vita Marci C. XII. *Ac ne in quenquam facile vindicaret, Praetorem, qui quaedam pessime egerat, non abdicare se Praetura iussit, sed Collegae Iurisdictionem mandauit, vt ego quidem haec verba accipio, iussit, vt Collegae totam Iurisdictionem mandaret; immo forte ipse CAPITOLINVS scripsit, non abdicare se Praetura iussit, sed Collegae Iurisdictionem mandare.*

F

denique facit magistratus, cui lex actorem alterius Iurisdictionis subiicit. Priores duae species mandatae Iurisdictionis sunt, posteriores duae prorogatae, vel latinius propagatae appellantur. a) Prorogationis enim vocabulum semper temporis ac durationis inuoluit significationem, sumrum a comitiis, quorum proprium est vocabulum rogatio, et quae inde oriuntur, in quibus etiam prorogatae, hoc est, longius vel in proximum annum rogare Imperatoribus imperium. Propagationis vocabulum a vineis ad omnia ea, quae per latius spatium extenduntur, b) translatum, vt praeclare docuit IACOBVS PERIZONIVS in Animaduerfionibus Historicis Cap. VI. pag. 229. c)

XIV. De

- a) Dandum hic aliquid est arti nostrae, maxime a nobis, qui vtriusque Iuris, Canonici et Ciuilis, studiosos nos profiteamur, quorum illud prorogatae Iurisdictionis meminit loco non vno. *vid. c. 32. et 40. X. de offic. et posses. Iud. deleg.* Qui ex Iure ciuili hanc loquendi formam exsculpere satagunt, frustra sunt, eosque inter IO. OTTO TABOR BOECERVM temere notans in iis, quae BARN. BRISONIO de V. S. addidit. *Prorogatio*, inquit *l. 2 §. 2. D. de Iudiciis, qui locus cum de Iurisdictione agat, notandus est contra Boecrum negantem, prorogationis vocem in Iure ciuili de Iurisdictione vsurpari c. 7. de Iurisd. n. 3.* Ipse textus sententiam BOECERI non loquitur, sed clamat: *Si et index ad tempus datus, et omnes litigatores consentians, nisi specialiter Principali iussione prorogatio (puta temporis ad iudicandum dati) fuerit inhibita, possunt TEMPORA, intra quae iussus est litem dirimere, PROROGARI.* exemplum Iudicis ad tempus dati supra in GELLIO vidimus §. XI. not. p.
- b) Didici tamen ex lectione SVETONII, propagandi verbum etiam de tempore vsurpatum. Ita enim in Augusto c. XXIII. *Hoc (clade Variana) nunciata, excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existeret: et Praefidis prouinciarum propagauit Imperium, vt et a pericis et assuetis socris continerentur.* Quod ipsum Prorogationis promiscuum in Decretalibus vsu magis excusat.
- c) Videfis POMPONIVM ICIUM in *l. 5. D. de Precar. et HYBERVM D. h. n. 9.*

XIV. De Legatis Proconsulis POMPONIVS Lib. X. ad *Iurisdictio*
 Quintum Mucium: *mandata Legati Procon-*

Legati Proconsulis nihil proprium habent, nisi a Procon-
sule eis mandata fuerit Iurisdictio.

l. 13. D. de Offic. Proconf. Unde de ipso Proconsule VLP-
 IANVS Lib. I. de Offic. Proconf.

Posthaec ingressus provinciam, mandare Iurisditionem

Legato suo debet: nec hoc ante facere, quam fuerit pro-
vinciam ingressus. Est enim perquam absurdum, ante-
quam ipse Iurisditionem nanciscatur, (nec enim prius
ei competit, quam in eam provinciam venerit) alii eam
mandare, quam non habet: sed si es ante fecerit, et
ingressus provinciam in eadem voluntate fuerit; creden-
dum est, videri Legatum habere Iurisditionem, non exin-
de, ex quo mandata est, sed ex quo provinciam Proconsul
ingressus est.

l. 4. §. 6. D. de Offic. Proconf. & PAPINIANVS Lib. I. Quaes-
tionum:

Aliquando mandare Iurisditionem Proconsul potest, etsi
nondum in provinciam peruenerit: Quid enim si necessa-
riam moram in itinere patietur, maturissime autem Le-
gatus in provinciam peruenturus sit.

l. 5. D. eod. Est autem hoc genus mandatae Iurisditionis
 prorsus extraordinarium, vt cum VLPIANO loquar in *l. 6.*
pr. D. de Offic. Proconf. Habet Iurisditionem suam alieno
 puta Proconsulis beneficio, vnde est, quod MARCIANVS
 Lib. I. Institut. ait:

Apud Legatum vero Proconsulis, nemo manumittere pot-
est, quia non habet Iurisditionem talem.

l. 2. §. 1. D. de Offic. Proconf. & VLPIANVS Lib. XXVI. ad
Sabinum:

Nec adoptare potest: omnino enim non est apud eum le-
gis actio.

l. 3. D. eod. & quod VENULEIVS SATVRNINVS Lib. II. de
Offic. Proconf. dixit:

Si quid erit, quod maiorem animadversionem exigat, reuicere Legatus apud Proconsulem debet: neque enim animaduertendi, coercendi, vel atrociter verberandi ius habet.

l. 11. D. eod. Immo mandare Iurisdictionem, vel non mandare, fuit in arbitrio Proconsulis, ex doctrina VLP. IAN. l. 6. §. 1. D. eod. Maior tamen est eius iurisdictione ea, qua gaudet ille, cui ordinario iure mandata est. LICINNIUS RVFINVS Lib. III. Regularum:

Et Legati Proconsulum tutores dare possunt.

l. 15. D. eod. ex Oratione nempe D. Marci l. 1. §. 1. D. de Tutor. et Curat. dat. MACER Lib. I. de Offic. Praef.

Cognitio de suspectis tutoribus mandari potest: immo etiam ex mandata generali Iurisdictione propter vilitatem pupillorum eam contingere constitutum est, in haec verba: Imperatores Seuerus et Antoninus, Braduae, Proconsuli Africae. Cum propriam iurisdictionem Legatis tuis dederis, consequens est, ut etiam de suspectis tutoribus possint cognoscere.

l. 4. pr. D. de eo cui mand. est Iurisd. (Quod interpretatione prudentum ad omnes, quibus totum iuris dicendi officium in prouincia mandatum est, translatum videtur, l. 1. §. 4. D. de susp. tutor.) VLP. IANVS Lib. I. de Offic. Proconsul.

Legatos non oportet Principem consulere, sed Proconsulem suum: et is ad consultationes Legatorum debet respondere.

l. 6. §. 2. D. de Offic. Proconsul. VENULEIUS SATVRNINVS Lib. II. de Offic. Proc.

Appellari a Legatis Proconsul potest, et si multam dixerit, potest de iniquitate eius Proconsul cognoscere, et quod optimum putauerit, statuere.

l. 2. D. quis a quo appelletur. VLP. IANVS Lib. I. de Offic. Proconsul.

Solent etiam custodiarum cognitionem mandare Legatis: scilicet ut praeauditas custodias ad se remittant, ut innocentem ipse liberet: Sed hoc genus mandati extraordinarium est: nec enim potest quis gladii potestatem sibi datam, vel cuius alterius coercionis ad alium transferre; nec liberandi igitur reos ius, cum accusari apud eum non possim.

l. 6. pr. D. de Offic. Proc. Et hoc est, quod supra ex Pomponio allatum est: Legatos Proconsulis nihil proprium habere, habere tamen aliquid proprium, si a Proconsule eis mandata fuerit iurisdictio, ut belle observavit PETERVS PERENONIVS *Animadu. Lib. 1. Cap. 26. a)* idemque firmari puto illis VLPIANI ex l. 6. §. 1. D. de Offic. Proconf.

Adimere mandatam Iurisditionem licet quidem Proconsuli; non autem debet inconsulto Principe hoc facere.

Illud quod mandatam habeat a Proconsule Iurisditionem, hoc quod Iurisditione mandata etiam proprii quid habeat, et ut in l. 6. dicitur de Iurisdict. principaliter ei aliquid datum sit. Illustre Exemplum praebent Gordiani Pater et Filius. CAPITOLINVS cap. XVIII. Maximini, seu eiusdem Alexandri, temporibus ad proconsulatum Patris (Gordiani Senioris) missus Legatus, (Gordianus Iunior) est observatus; immo proprium quid in Legati Proconsulis iurisditione agnouisse videtur Consul Romanus apud eundem

F 3 CAP-

a) Idem etiam vidit M. A. MURETVS, ut nunc demum video. Addam verba p. m. 21. Si proprium cuiusque est, quod quis suo iure habet, quodque ipsi invito eripi non potest: hac sane ratione ne mandata quidem Iurisditione quicquam proprium habet. Sed si quicquid quis singulare ac praeter ceteros habet, id ipsum proprium vocamus, hoc modo nihil prohibet dicere, legatum Proconsulis, mandata sibi Iurisditione, habere multa propria, id est, quae praeter ipsum nemo habeat ex iis, qui sunt in comitatu Proconsulis.

CAPITOLINVM c. XI. Patres Conscripti, Gordiani duo, Pater et Filius, ambo ex Consulibus, vnus vester Proconsul, alter VESTER LEGATVS magno Afrorum consilio Imperatores sunt appellati.

*Iurisdictio
simpliciter
mandata.*

XV. Praeter id mandatae Iurisditionis genus prorsus singulare, quod tractauimus, et Proconsul, et reliqui magistratus omnes Iurisditionem mandant, a) qui suo iure, non alieno beneficio habent, vt docet IULIANVS Lib. I. Digestorum:

More maiorum ita comparatum est, vt is demum Iurisditionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet.

l. 5. D. de Iurisdict. cuicumque etiam priuato, PAVLVS Lib. XVIII. ad Plautium:

Mandato Iurisditione priuato, etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari.

l. 5. § 1. D. de Offic. ei. cui mand. est Iurisdict. Sed et ei, qui ipse Praetor est, non vt Praetori, sed vt priuato, vt idem IULIANVS Lib. V. Digestorum:

Etsi Praetor sit is, qui alienam Iurisditionem exsequitur, non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo, cuius mandatu ius dicit, quotiens partibus eius fungitur.

l. 3. D. de Offic. ei. cui mand. est Iurisdict. conf. l. 1. § 1. D. eod. ex iusta causa, qualem VLPPIANVS habet Lib. I. Opiniorum:

Praetor, sicut vniuersam Iurisditionem mandare alii potest, ita et in personas certas, vel de vna specie potest: maxime cum iustam causam susceptae ante magistratum aduocationis alterius partis habuerat.

l. 17. D. de Iurisdict. vel vniuersam Iurisditionem, vel certam causam,

a) More maiorum longe antiquissimo, de quo videatur SCIP. GENTILIS de Iurisdict. Lib. II. c. XII. compara IULIANVM l. 5. D. de Iurisdict. verbis paulo post adscribendis.

causam, vt iam vidimus, et vt IDEM ad Lib. III. de omnib. Tribunal.

Solet Praetor Iurisdictionem mandare : et aut omnem mandat, aut speciem vniam : et is, cui mandata Iurisdictione est, fungetur vice eius, qui mandauit, non sua.

l. 16. D. eod. et vt exemplis illustrat MACER Lib. I. de Offic. Praef.

Ut possessio honorum detur : vel, si cui damni infecti non caueatur, vt is possidere iubeatur : aut ventris nomine in possessionem mulier, vel is, cui legatum est, legatorum seruandorum causa in possessionem mittatur, mandari potest.

l. 4. §. 1. D. de Offic. ei. cui mand. est Iurisdic. atque illud cum imperio mixto, PAVLVS Lib. XVIII. ad Plautium :

Mandatam sibi Iurisdictionem mandare alteri non posse, manifestum est. §. 1. Mandata Iurisdictione priuato, etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari : quia Iurisdictione sine modica coercitione nulla est.

l. 5. D. de Offic. ei. cui mand. est Iurisd. Idemque notans ad P. APINIANVM :

Et imperium, quod Iurisdictioni cohaeret, mandata Iurisdictione transire verius est.

l. 1. §. 1. in fin. D. eod. Non adeo legis actio, non de alienandis bonis pupilli cognitio, l. 2. §. 1. D. de Offic. ei. cui exc. non consilii exercitio a) l. 2. pr. D. eod. vid. NOODTIUM Lib. II. cap. X. non in transactionibus de alimentis auctoritatis interpositio, non tutoris datio, b) omnium autem minime merum, quod appellatur, imperium. De illis causis etiam nos

a) Vide MVRETVM p. III. 25.

b) An ea, de quibus magistratus extra ordinem ius reddunt, mandari possint, disceptat, et aientem sententiam non male tuetur SCIP. GENTILIS de Iurisd. Lib. II. cap. 20.

nos supra §. VIII. de hoc grauissime PAPIANVS Lib. I.
Quaestionum:

Quaecunque specialiter Lege vel Senatus consulto, vel constitutione Principum tribuuntur, mandata Iurisdictione non transferuntur: quae vero iure Magistratus competunt, mandari possunt. Et ideo videntur errare Magistratus, qui cum publici iudicii habeant exercitionem, Lege vel Senatusconsulto delegatam (veluti legis Iuliae de adulteriis, et si quae sunt aliae similes) Iurisdictionem suam mandant. Huius rei fortissimum argumentum, quod Lege Iulia de vi nominatim cauetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. Non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coeperit: cum alias Iurisdictione etiam a praesente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem Praetor, quam ex Senatusconsulto habet, mandare non poterit.

l. 1. pr. D. de Offic. ei. cui mand. est Iurisd. Sane nulla a mandatario eiusmodi ad mandantem prouocatio, VLP IANVS Lib. I. de Appell.

Ab eo, cui quis mandauit Iurisdictionem, non ipse provocabitur: nam generaliter is erit prouocandus ab eo, cui mandata est Iurisdictione, qui prouocaretur ab eo, qui mandauit Iurisdictionem.

l. 1. §. 1. D. quis a quo appelletur. Sed et is, cui mandata Iurisdictione, eam iterum alii non mandat, PAVLVS Lib. XVIII. ad Plautium:

Mandatam sibi Iurisdictionem mandari alteri non posse, manifestum est.

l. 5. pr. D. de Offic. ei. cui mand. est Iurisd. Et iis modis, quibus omne mandatam, mandata quoque soluitur Iurisdictione, IDEM Lib. II. ad Edictum:

Ideoque, si is, qui mandauit Iurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est Iurisdictione, geri coeperit, solui mandatam Labeo ait, sicut in reliquis causis.

l. 6. D. de Iurisdictione.

XVI. Vidimus mandatam Iurisdictionem; superest ^{Iurisdictione ex} propagata, vel prorogata, quod privatorum consensu ex ^{prorogatione} lege Iulia iudiciorum a) fieri poterat, VLPPIANVS Lib. II. ^{voluntaria.} ad Edictum:

Si se subiiciant aliqui Iurisdictioni, et consentiant, inter consentientes, cuiusvis iudicis, qui tribunali praeest, vel aliam Iurisdictionem habet, est Iurisdictione.

L. I. D. de Iudiciis. Et IDEM Lib. III. ad Edict.

Consensisse autem videntur, qui sciant, se non esse subiectos Iurisdictioni eius, et in eum consentiant: ceterum, se putent, ejus Iurisdictionem esse, non erit eius Iurisdictione: Error enim litigatorum (ut IULIANVS quoque Lib. I. Digestorum scribit) non habet consensum: aut si putaverunt, alium esse Praetorem pro alio, aequè error non dedit Iurisdictionem: aut si, cum restitisset quivis ex litigatoribus, viribus Praeturæ compulsus est, nulla Iurisdictione est. §. 1. Convenire autem, utrum inter privatos sufficit, an vero ipsius etiam Praetoris consensus necessarius est? Lex Iulia iudiciorum ait: Quo minus inter privatos conveniat; sufficit ergo privatorum consensus. Proinde, si privati consentiant, Praetor autem ignoret consentire, et putat suam Iurisdictionem, an Legi satisfactum sit? videndum est; et puto posse defendi, eius esse Iurisdictionem. §. 2. Si et iudex ad tempus datus, et omnes litigatores consentiant, nisi specialiter Principali iussione prorogatio fuerit imbibita, possunt

tem-

a) Quod et Athalarici Gothorum Regis aetate ita obtinuisse docent ea, quae CASSIODORVS habet L. IX. Var. Epist. XIV. ad Gildam Comitem Syracusanæ civitatis: *Duorum negotia Romanorum, ETIAM HIS INVITIS, ad tuum dixeris vocare iudicium, quos de iure Romanos habuisse cognitores, ex L. VII. Epistola III. constat.*

tempora, intra quae iussus est litem dirimere, prorogari.

l. 2. pr. 1. 2. D. de Iudic. Opus adeo est duorum vel plurium litigantium in hoc placito et consensu, vel expresso, a) vel tacito, quem fieri nihil vetat, quod maior sit vnius e par-

2) Vbi inter actorem et reum apertissimis verbis conuenit, velle se ad iudicem, vel ex vtriusque, vel ex Rei factum persona incompetentem ire, quod ita obseruatum esse, in specie *l. pen. C. de Pactis*, et praeterea, vt fieri assolet, expressis verbis de tollenda fori priuilegiati praescriptione esse cautum, asserere nihil vetat. Quod si hoc minus placeat, species talis effingenda est: Municipalis, allectus in militiam, nactus dignitatem, ornatus sacerdotii praerogatiua, eo ipso alterius fori esse incipit, indeque, vt *VLPIANVS* bene tradit in *l. 7. D. de Iudiciis*, ius reuocandi forum consequitur: idem in conscripto chirographo se debere centum confessus est: conuentus coram Magistratibus municipalibus, illud vt incompetentem recusare nequit: volens forum Magistri Militum, Praesidis, Episcopi reuocat, siue, uti in *l. pen. C. de pactis* est, fori singularis praescriptione vitur. Sed in eodem instrumento dixit, se non vsurum ista praescriptione: et forum municipale non recusabit: quod eo clarius apparebit, si, debitorem posuisse cingulum, excidisse dignitate, reliquisse sacerdotium fingas, quo facto conuentus, fori illius, quod amisit, praescriptione, ipso iure excidit, alium tamen quemcumque iudicem, praeter municipale, recte recusabit. Et ita legem explicuit *GOTHOFREDVS* in *Notis*, quem qui notant, non capiunt. Maius est, expresse in quemuis iudicem consentire, cuius ita Iurisdictio prorogatur, minus, simpliciter polliceri, se ad eum iudicem non iturum, ad quem iure possit reuocare, quod non alienae Iurisditionis prorogationem, sed ex duabus alterius in hac causa restrictionem continet. Gemina profus sunt, quae *VLPIANVS* habet *l. 1. D. si quis in ius voc. non ierit*: Si quis in ius vocatus fideiussores dederit, in iudicio sistendi causa, non suppositum Iurisditioni illius, ad quem vocatur, pro non dato fideiussores habetur: Nisi suo priuilegio specialiter renunciauerit. Et in *l. 7. pr. D. qui satisfacere cogantur*: Si fideiussores non negetur idoneus, sed dicatur habere fori praescriptionem: et metuatur petitor, ne iure fori vtatur, videndum quid iuris sit? Et *Dinus Pius* (vt et *Pomponius Libro epistolarum refert*, et *Marcellus Lib. III. Digestorum et Papinianus Lib. III. Quaestionum*) *Cornelio Praeculo rescripsit, merito*

e partibus Iurisdictionis, VLPPIANVS Lib. XXXIX. ad Edictum:

Est receptum, eoque iure utimur, ut si quis maior vel aequalis subiciat se Iurisdictioni alterius: possit et, et adversus eum, ius dici.

l. 14. D. de Iurisdictione. Aut quod iudicantis intra certam summam se contineat potestas. IULIANVS Lib. V. Digesti.

Iudex, qui usque ad certam summam iudicare iussus est, etiam de re maiori iudicare potest, si inter litigatores conveniat.

l. 74. §. 1. D. de Iudiciis, et PAULVS Lib. I. ad Edictum:
Inter convenientes, et de re maiori, apud Magistratus municipales agatur.

l. 28. D. ad Municipalia. Vitiat tamen error, ut VLPPIANVS supra, et in Lib. II. de omnibus Tribunalibus:

G 2

S

merito petitorum recusare talem fideiussores: sed si alius caueri non possit, praedicendum ei, non usum cum privilegio, si conveniatur. In his locis fori iure uti, est, privilegio uti, et dum dicitur, metaure petitorum, ne iure fori utatur, constat, potuisse conventum uti privilegio cinguli, dignitatis, militiae; potuisse non uti, quod illud prius forum per privilegium non sit penitus extinctum. Iam vero illi, qui, confessum fori praescriptione se non usum, cuicumque iudicio se subiecisse contendunt, viderint, qui idem, privilegio se non usum, dixisse potuerit: maxime cum et illa Codicis lex de foro ex privilegio propter cingulum militiae, vel dignitatis, vel etiam sacerdotii praerogativam clare loquatur. Nos ex harum legum sententia ita tenemus: Aut est creditori et debitori forum idem et unum, et res dubio caret; aut est creditori et debitori forum idem, sed huic et aliud ex privilegio, cuius praescriptione non usum creditori promittat, quo casu Iurisdictionem, quae iam est, non prorogat, sed illi, quam reuocare poterat, renunciat: aut creditori aliud est forum, aliud debitori, et consensu vel expresso vel tacito, reus, in creditoris aut aliud quodcumque forum consentit, quo casu proprie et vniuersi iudicis, in quem consentum, iurisdictione prorogatur.

Si per errorem alius pro alio Praetor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum est: nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in Praesidem: a) cum (ut IULIANVS scribit) non consentiant, qui errent. Quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit?

l. 15. D. de Iurisd. Et finit mutata voluntas, AFRICANVS Lib. VII. Quaest.

Si conuenerit, ut alius Praetor, quam cuius Iurisdictio esset, ius diceret; et priusquam adiretur, mutata voluntas fuerit: procul dubio nemo compelletur, eiusmodi conventioni stare.

l. 18. D. de Iurisd. Sit tamen aliqua iudicantis Iurisdictio, cuius fines propagari possint, ut rescripserunt DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS A. A. Iudaeae:

Pruatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli praestit iudicio: nec, quod is statuit, rei iudicatae continet auctoritatem.

*l. 3. C. de Iurisd. An etiam seruandum est in prorogatione causarum discrimen? Video ita tenere VIROS EXIMIOS, sed mihi contrarium verius videtur, ob id quod de quantitibus ex l. 74. D. de Iudic. attulimus, ob illa in l. 1. D. de Iudiciis verba: *cujusuis iudicis*, qui tribunali praestit, vel aliam Iurisditionem habet; et ob luculentum, ut opinor, ANTONINI A. Rescriptum:*

Non quidem fuit competens index Procurator noster in lite priuatorum: Sed cum ipsi eum iudicem elegerint, et is consentientibus aduersarius sententiam tulerit, intelligitur, vos acquiescere debere rei ex consensu vestro iudicatae: cum et Procurator indicandi potestatem inter certas

a) Vid. NICOLAUS CATHERINVS in *Obseruat. Libro ad b. l. et HOTMANNVS Obseruat. Lib. IV. Cap. 18.*

tas habeat personas : et vos incongruum eum esse vobis iudicem scientes, tamen audientiam eius elegeritis. Quod et in aliis similibus iudicibus, tam in actionem proponentis, quam in exceptionem opponentis personae locum habebit.

l. 1. C. de Iurisdic.

XVII. Demum PAVLVS ait Lib. III. ad Plautium : *Iurisdicō ex prouogatione necessaria.*

Qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones, et ad eundem iudicem mitti.

l. 22. D. de Iudiciis. Et vicissim GAIVS Lib. I. ad Edictum Provinciale :

Sed et si mutuae sunt actiones, et alter minorem quantitatem, alter maiorem petat : apud eundem iudicem agendum est ei, qui quantitatem minorem petit.

l. II. §. 1. D. de Iurisdic. Hoc ex ratione a GAIO rectissime subiuncta : *Ne in potestate calumniosa aduersarii mei sit, an apud eundem litigare possim.* Illud vt IMPERATORIS in

l. 14. C. de Sentent. et interlocut. verbis vtar : *ne, cuius in agendo obseruat arbitrium, eum habere et contra se iudicem dedigneatur, conf. Nouell. XCVI.* Qua in re, cum et actor conuentus teneretur apud eundem iudicem excipere, et reus conueniens apud eundem iudicem teneretur experiri, Iudicis illius, iurisdictionisque sane non competentis, fines legali necessitate propagari, potest non incommode dici.

SS) o (SS

CAPVT SECVNDVM

DE ILLIVS DOCTRINAE
IN GERMANIA VSV.

I.

*Vsus omnis
doctrinae Ro-
manae sedulo
inuestigandus.*

Inuitiles et perniciosi sunt ICtorum illi, qui de moderna Iurisdictionis forma ex Legibus Romanis censent et disputant, sunt grauissima verba ICTi celeberrimi DAV. MEVII P. IV. Decif. 290. n. 7. sed et B. TITIVS in Iure priuato Lib. VIII. cap. X. §. 14. Hodie, ait, Iuris Romani hac in parte exiguus vel nullus est vsus, nam nomine Iurisdictionis facultas et cognoscendi et exequendi venit; praeterea quid ad Iurisdictionem ciuilem referri debeat, aut quid iuris huic aut illi magistratui adscribendum sit, nec ne, illud non ex Iure Romano, sed propriis principiis iudicandum est, vtut forte ex regulis artis leguleiae nonnunquam aliter pronuncietur. Inuisum et reipublicae infestum genus hominum ICTi inuitiles et perniciosi, sed et turpis leguleiorum natio, in quorum castra ne delabamur imprudentes, cum cura ab vnoquoque elaborandum est.

*Vsus Distin-
tionis in Ma-
gistratus P. R.
et Municipa-
lis.*

II. Magistratus Iure Romano sunt vel Populi Romani, vel Municipales, illi vel Maiores, vel Minores. Romani Imperii Maieftatem, aeterna Ottonis lege, in nostros Reges translata esse novi; qui aut quo tempore Populus Romanus effecti simus, ignoro. Neque ciuitas Romana superest, cum qua munera capiendi ius sint adepti populares nostri, CAR. SICONIVS de antiquo iure Italiae Lib. II. cap. 6. pag. 638. neque vrbis Romanae, quae nunc est, honori dandum, vt eius veneratione ciuitatum Germanicarum ciues municipales appellentur, l. 1. §. 1. D. ad Municipalem. Vrbium nostrarum Magistratus, qui suas origines vltra aduen-

aduentitiorum iurium aetatem extendunt, plerique in infinitum iudicant; ea, quae magis imperii visa, habent; immo in causis capitalibus facinorosos homines quoscunque vitae amissione coercent, quae omnia Magistratibus Municipalibus non licuisse supra docuimus. Sane si quis hoc suscipiat negotii, ut in aulis Principum, Praetorio Praefectos, Consules, Praetores, Aediles, Quaestores, Tribunos, in Prouinciis Proconsules, Praefides, Legatos, Praefectos Augustales, Procuratores Caesaris, in vrbibus, Duumuiros, Illuiros, Seuiros, Defensores, Iuridicos, Decaprotos, leosaprotos, digito monstrare possit, et dicere: hi sunt; nae ille habet aethiopem, quem aeternum lauet. Ne quidem maiorum minorumue Magistratuum diuisioni hic vllus locus: siue enim a maioribus minoribusue auspiciis eam ortam dicas, expulit has nequitias melior de rebus sacris persuasio: siue a centuriatis tributisue comitiis, ignorat centuriarum tribuumque rationem nostra Respublica: a) siue a tribunaliibus et subselliis deriuus, illa etiam insignia ad nostram gentem non peruenerunt. Quod si quis obuertat, esse tamen nobis magistratus, si dignitatem auctoritatemque spectes, alios maiores, minores alios, illud, vti largior, ita nobis non magis cum Quiritibus, quam cum Antipodibus commune esse existimo; iam, si de illius dignitatis auctoritatisque modo, et inde profluente magistratuum differentia suboritur quaestio, quae eo faciunt, missis ut Incarum, ita Quiritium placitis, ex domestico iure patriisque moribus sunt ad discenda.

III. De Magistratibus facile mihi cum aliis conueniet, quod in hac Iurisprudentiae publicae luce neminem facile lateat, Magistratuum vim atque potestatem ab vniuersa ciuitatis

a) Confer si lubet, A. GELLIVM, Noctium Atticarum L. XIII. c. 15.

tatis compage pendere, nostrae autem Reipublicae Germanicae esse suam propriam naturam, a Romanorum vel regno, vel libertate, vel imperio diuersissimam. Sed illi nostri Magistratus sunt tamen Magistratus, habent Imperium, cum merum, gladii potestatem ad animaduertendum facinorosos homines, tum mixtum et mite, cui ipsa Iurisdictio inest, quod illi rudes barbarae aetatis Scabini, rem tenentes, verborum ignari, et profanum vulgus, ICTos veluti torrente inuoluens, Iurisdictionem altam et bassam, Centenam et Vogteiam, *Hals-Gerichte* et *Erb-Gerichte*, *Ober-Gerichte* et *Nieder-Gerichte* appellarunt. Agnoscis forte, verae non simulatae Philosophiae studiose, carmen, ad tuendum omnimodum iuris Romani usum perquam necessarium, et quo si semel fuerit imbuta recens, seruabit odorem testa diu. Sane aequo animo fero, quotiens, alia omnia et rectiora edocti, istis meri mixtique imperii vocibus, quas didicere iuvenes, non dedidicere senes, apud intelligentes vtuntur, quod IOANNI SCHILTERO at! quanto viro, saepius accidisse nouimus: verumenimvero, qui istis vocibus tyronum animis insidiantur, et eos de Iuris Romani usu in hac etiam doctrina persuasissimos efficere student, illos et falli et fallere, nullus dubito. Sunt nobis facinorosi homines, est et gladius vltor, sunt ciuium litigia, sunt et iudices, qui et iudicant, et res iudicatas exsequuntur. Eadem Romae olim, sed et eadem apud illos, qui solem orientem primi vident, qui tamen vt Confucii sapientiam cum Edicto perpetuo commutent, nondum poterunt adduci. De eo quaero, an apud nos, vt apud Quirites, merum imperium a mixto nunquam non sit distinctissimum, ita vt hoc maximam partem magistratus iure competat, illud Populi Romani Quiritium proprium certis publicorum iudiciorum legibus, certis iisque maioribus potestatibus sit datum; an illa gladii potestas ita sit in nostrorum magistratuum manu, vt fuit in manu Praefidum; an

merum

merum imperium comprehendat omnium omnino criminum persecutionem, mixtum vero nullorum; an nostrorum Magistratum iurisdictio duabus istis partibus absoluat, ut vel decernant, vel iudices dent; an ubi decernit iudex, hoc vel iure magistratus, vel legis autoritate faciat; an denique sit quicquam in omni, meri Imperii, mixti Imperii, Iurisditionis natura, praeter id, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, et, quod apud omnes peraeque custoditur, quod didicisse e re nostra est, et quod nisi didiceris, in foro haereas. Hoc postremum merito negamus; quoad illa priora ex quotidiano vsu obseruamus, Iurisditionem altam, *die Hobe und Obere Gerichte*, et bassam, *die Erb- und Nieder-Gerichte*, nunc arctissime iunctas, nunc esse seiunctissimas; et eos, qui vtramque tenent, non sane certas maioresque Potestates, sed plerumque priuatos, vel singulos, vel in vniuersitates collectos, illarum gaudere exercitio, si spectes originem, supremumque arbitrium, beneficium Principis; si titulum quaeras, vel ex priuilegio, vel ex contractu; si acquisitionis modum intuearis, et a Praefectis discedas, iure vel proprio vel feudi, immo fundi et perpetuo; ita autem frui eos gladii potestate, ut sententiae a Ictis concipiantur, ex frequentissima Nemeseos Carolinae ordinatione; Praefecti, vel hoc vno ab illis Romanis Potestatibus immane quantum dissidentes, sententiam a Ictis latam, ne quidem resignent, sed ad Principis Senatum remittant, processus directores magis et sententiae ad nutum Principis executores, quam magistratus; SCHILTERVS *Exercit. ad D. VI. §. 8.* ubi Iurisditiones illae sunt seiunctae, crimina ad Iurisditionem altam non referri omnia, ad bassam non pertinere nulla; *Ordinatio Politica D. AVGVSTI d. A. 1555.* rubrica: *Was zu Ober- Nieder- oder Erb-Gerichten gehöret;* magistratum in causis ciuilibus decernere, iudicem non dare, decernere, si magistratus est, vnice iure magistratus, sin dominus, etiam sui iure domini.

mini. Igitur, qui legum Romanarum doctrinam, peritiam, studium profitetur, is meri mixtique Imperij, et Iurisdictionis naturam probe calleat: qui nostrae Iurisdictionis interiora rimatur, ab hac Iunone sibi temperabit, vid. HAHNIVS *ad Wesenbecium b. 1. pag. 138.* qui contra fecerit, ille sentiet, se cum nube congressum, criminum mixti imperij, quae bono CARPZOVIO excidere, *Quaest. 109. n. 29.* Quaestionum Domitianarum, qualis illa ICTIS FRANCOFVRTANIS proposita: *Wenn einem nur BLOSS DIE VNTERGERICHTE zuständig, wie weit derselbe in Criminibus seu delictis DE IVRE COMMVNI CAESAREO cognosciren könne,* Paradoxorum STRYKIANORVM, Iurisdictionum criminallium absque mero imperio, et similibus portentorum illaetabilem fore parentem.

Vsus Distinctionis in Iurisdictionem voluntariam et contentiosam.

IV. Difficilem locum superavi, en! plana magis de voluntaria et contentiosa Iurisdictione; magis enim ad nostram aetatem haec applicari posse videntur; sed videntur fere, et suis salebris non carent. Voluntariam Iurisdictionem ex vero diximus eam, quam Proconsul urbem egressus, provinciam nondum ingressus exercet, quod illa ita voluntate agentium constet, vt nullo tribunali opus sit. Exempla illius, Adoptio, Emancipatio, Manumissio. Haec facit Proconsul absque Tribunali extra provinciam, multo magis in provincia extra Tribunal, et quae ad ipsum pertinent, etiam coram seipso. An adeo fuit voluntaria Iurisdictione etiam Praesidi? Parum abest, quin negem. Quod tamen in eam partem accipi nolim, ac si negare esset animus, factas fuisse apud Praesidem Adoptiones, Emancipationes, Manumissiones: saltem extra provinciam ei statim, postquam egressus erat urbem, talem Iurisdictionem competisse, legum auctoritate nego; intra provinciam, et extra tribunal, eum aditum, cum a suis, tum ab alienae provinciae hominibus, ista omnia rite peregisse, nullus dubito. Inde ambiguum esse non potest, quid de Magistratibus Muni-

Municipalibus sentiam; vti enim iis, maiorem, quam Praesidibus auctoritatem tribuere, vel recta ratione impedior, ita intra sui territorii fines, vel in theatrum balneumue ambulantes, Praesidum et Proconsulum strenue esse imitatos potestatem, ex aliis coniiicio. Haec de iure antiquo; iure nouo voluntariae Iurisdictionis fuit, donationum insinuatio, eo sensu, vt quaecunque, a quibuscunque, coram quocunque Iudice fieri potuerint, a) eadem extra Prouinciam a Praeside, aut extra territorium a Magistratu suscipi non potuerint: illud ex apertissima lege LEONIS; hoc ex iuris antiqui, quod stare praesumitur, natura. Sed et coram seipso, a Magistratu poruisse donari, non ambigo. An et apud Magistratum forte fortuna obuuium? non opinor. In eo enim haec noui iuris voluntaria Iurisdictione a veteris iuris exemplis diffidere videtur, quod haec Legis actione, quae verbis solemnibus ritibusque nonnullis constabat, perficerentur, illa vero actis et monumentis indigeret, *l. 31. 32. 34. C. de Donat.* De testamentorum insinuatione, ob ea, quae in priori capite disputata sunt, subsisto. Nunc ad praesentem vsum haec applicantibus euidentis est, si voluntaria Iurisdictione non est, nisi Proconsularis, eam cum omni Proconsulis officio apud nos frustra requiri. Quod si de voluntaria Praesidum et Magistratum Municipalium Iurisdictione quaeritur, commodum veteris iuris exempla fere in rerum argumentis deficiunt, Manumissiones Romanae apud nos nullae, Adoptiones raras, Emancipationes paucae. Sed singas, malle, incertum qua prudentia, hominem Germanum adoptare, quam alere, aut cautum Patremfamilias cupere filii emancipationem: et non patitur hodierna summi Imperii indoles, vt a

H 2 Magi-

a) In quibus omnibus nunc aliter teneo per ea, quae ad capitis prioris §. VII. p. 23. seq. luculenter dicta sunt, quorum summa haec est, etiam iure nouo, ciuibus Regiae vrbis non nisi coram Magistro census, municipalibus coram Praeside suo vel magistratu vel defensore, prout maluerint, donare licuisse.

Magistratu, vel Britannico Gallicoue, in nostro Imperio, vel Germanico, in alieni Principis territorio illa fiant; qui enim id homini, apud suos quidem magistratui, ubi iter facit, priuato et hospiti, liceat, quod ne quidem Romano iure Praefidi extra suam prouinciam licuisse manifestum est? Eadem Maiestatis a Praefidum potestate immane quantum discrepantis sanctitas prohibet, subiectos illius rei causa alterius Principis Magistratus adire, nisi forte dura necessitas, verbi causa, imminens peregre profectis mortis metus, aliud imperet; extra eam crediderim, et prohibendos esse homines vel inepte, vel fraudulenter tale quid facturos, et, negotio temere gesto, illud in poenam pro irrito habendum. Intra territorium supremas Curias et Regimina istam Iurisdictionem habere, prorsus consentio; in ratione forte dissentio, utpote, qui id magis Principis, cuius personam gerunt, quam Praefidis iure facere opinor. Sed et Magistratibus nostris idem iuris esse videtur: cum aequissimum sit, ut negotia, quae Legum Romanarum receptioni debemus, earundum auctoritate regantur. An vero Magistratus noster, etiam Praefectus, coram seipso adoptabit, et emancipabit? Aiunt Leges Romanae, nec video, quid veret; An idem fiet, dum in balneum vel theatrum itur? De collegiis Iudicum, qualia apud nos plurima, illud quaerere, fere absouum est. Sed et Praefectum illud facere non posse, ut rear, moueor, primum, quod ille instar veterum Magistratum, suam quandam maiestatem et imperii insignia secum circumferre non videatur, deinde quod et adoptio et emancipatio acta et monumenta magis, quam illos veteres ritus legitimos requirant, quorum non in transitu, sed in iudicii loco est copia. Neque turbat, posse aliquando vel honoris vel necessitatis causa istos actus extra iudicii locum expediri; nemo enim, nostrorum iudicum auctoritatem eorum subfelliis ita alligatam, credet, ut nullae subdelegationi vel alii translationi locus supersit. De insinuatione donationum, quid dicam,

cam,

cam, anceps haereo. Videolegem LEONIS clarissimam; a) rationem legis non video: non enim omnium, quae a maioribus constituta sunt, potest reddi ratio, nempe vt IULIANVM capio in *l. 20. D. de Legibus*, optima maxima. Doctores legi sua auctoritate suppetias ferunt, et sane ego is non sum, qui in eo, quod plurimis placuit, lubenter dissentiam. Neque tamen in hac Scholastica Disceptatione tacenda sunt ea, quae obuerti possunt. Rerum figuras a Romanis acceptas Romano iure censerit, haud aegre ferent magistratus nostri; vt dixi. Sed tale negotium non est, Ius confirmandi, quod in donationibus aequae ac in aliis contractibus quibuscunque nostris magistratibus, non aduentitiae legis beneficio, sed proprio et antiquissimo iure competit. Quiritium leges cis Alpes benigno hospitio in hac causa exceptae, quod amice in donationibus conspirarent; sed et placuit circa donationes, quingentis solidis maiores, superinducta confirmationis necessitas, quod ita hominum fraudibus occurratur, Iurisdictionis autem termini eo ipso non moueantur, sed firmentur. *P. II. Const. XII.* An vero aequae placuisse videtur, quod fines hos in Germania tam sanctos mutat confunditque, quod competentem iudicem iustis commodis exiit, quod fraudibus variis fenestram aperit, quod litium cumulum auget? Non opinor; Aut latet quid doli, aut iniuriae, aut iniquitatis, vt contrahentium interfit, clam illud firmari et ab ignotis iudicibus; et summum ius erit summa iniuria: aut tale latet nihil, tunc quid est causae, cur competentis iudicis tribunal illi homines defugiant? Forte aduersae sententiae Patronus, legem duram esse, tamen scriptam esse, occinet. Tu vero caue, eam legem

H₃ gem

- 2) Quam tamen ipsam nihil eorum dicere, quae volunt Doctores, supra saepius monitum. Nolui tamen hic disputata tollere, quod saltim aduersus eos, qui nouam lucem LEONINAE Constitutioni a me allatam ferre forte non possunt, sint valitura.

gem duram dicas, quae profus ratione caret. Deinde legem legi aduersam audi: CONSTANTINVS A. ad Cassium P. V.

Promulgatum dudum est, donationes nullo alio modo firmas posse detineri, nisi apud actorum contestationem confectae fuerint. Sed quia multi aliena, vel non pleno iure ad se pertinentia donantes, extra patriam et prouinciam, in qua possident, acta conficiunt, placet, ut nulli liceat extra prouinciam laudem suam donatorum instrumenta apud acta adlegare, sed in quo domicilium habuerit, atque possessiones constitutae sunt, apud suum ordinarium iudicem, vel si eum abesse contigerit, apud Curatorem, Municipalesue eiusdem ciuitatis: Nam si hoc praetermissum fuerit, nullam firmitatem habere donationes, sancimus.

l. 3. C. Theod. de Donat. Frustra es, inquiet aduersarius; tempore vincit, ut lex posterior, Leonina Constitutio; immo cum IUSTINIANVS CONSTANTINI Rescriptum suum non fecerit, illud cum omni tuo Codice Theodosiano nunquam in foro recepto aeternum valere iubeo. Ego vero valde metuo, ne idem mittatur nuncius rectae rationi, qui Legi CONSTANTINI, quamuis reapse non eo fine illam allegauerim, ac si nostro foro, tot Codicibus onerato, illam etiam THEODOSII molem imponi praeciprem, sed ut Tibi, Romani iuris amore faucio, ostenderem, id, quod volo, Romanae prudentiae aliquando recte placuisse. Ceterum *deurégus Qeorlidas* etiam in Legislatoribus non semper esse meliores, luculento exemplo ostendit *Nouella CXXI. Cap. I.* cui legi posteriori et nouissimae in aliam antiquiorem legem Antonini 10. C. de Usuris in nostro foro nihil licet. STRYKIVS de Cant. Contr. Sect. II. c. 1. §. 28. Quare cum nobis in hac doctrina iuris Romani

mani auctoritas vnice obfistat, a) forte multis haud impro-
 babile videbitur, licere ICtis, qui sunt, id quod licuit il-
 lis, qui fuere: Quorum hi legem abrogatam merito prae-
 tulerunt nouiffimae, illi legem neglectam haud iniuria prae-
 ferent repetitae. Vin rei insolitae exemplum? Gallia id
 fecit, illa iuris scripti retinentiffima Gallia, vt ex HENRI-
 CI II. Constitutione, ICtisque Pragmaticis BOVCHELIO
 et IOLYO probat laudatiffimus GOTHOFREDVS ad d. l.
 Sed fatis est dictum de donationibus; aurem vellunt testa-
 menta, quorum infinuaciones apud veteres fuiffe volunta-
 riae Iurisdictionis, vt credam, aegerrime me adduci pa-
 tior. Sed miffa hac in praefenti controuerfia, credamus
 BARTOLO et omni Interpretum turbae, malis faepe Iuris
 constituti interpretibus, bonis aliquando Iuris constituendi
 auctoribus; credamus, inquam, ex Iuris Romani aucto-
 ritate testamenta a quocunq; iudice poffe fufcipi; nunc
 figillatim quaerendum est, I. an testandi caufa homini priua-
 to liceat adire alieni territorii iudicem; II. an faltem liceat
 adire iudicem eiusdem territorii quemcunq; III. an liceat
 iudici eius rei caufa intrare alienum territorium; IV. an fal-
 tem alienam Iurisdictionem? Ita enim separandas effe vifio-
 nes, res ipfa loquitur. Quod primo loco quaefitum est, ego
 quidem, extra neceffitatis duriffimum telum, fieri poffe
 abfiffiffe nego, quod ipfa iuris Romani ratio reclamet, no-
 ftrorum Imperiorum fanctitas idem vetet, nulla denique
 probabilis caufa hominem territorii fui fines testando mi-
 grantem excuset, cum, fi maxime clandestina testamenti
 factione opus fit, id quod et fuos et iudicem fuum latere
 vult, apud alios iudices eiusdem territorii fexcentos facere
 poffit. Alterum e quaefitis vfu fori quotidiano feruari vi-
 deo, et imposterum feruandum effe exiftimo; nihil inde
 fuperioritatis territorialis fanctitati decedit; intereff faepe
 priua-

III

I. VI

II.

a) Sed ne haec quidem, potius falsa de Legis fenfu perfuasio.



- III. priuatorum, nesciri vltimi elogii confectionem; magistratus denique nostri, rem a Quiritibus acceptam, secundum Quiritarii iuris verum vel imaginarium sensum confici, haud immerito patiuntur. De iis, quae tertio et quarto loco quaerebantur, Perillustr. BERGERVS in Elect. Disc. Forens. P. II. pag. 28. *Veluti tacita quadam Ordinum Imperii conventionione obtinuisse pridem ait, vt alteri liceat in alterius loco suae iurisdictionali suae territoriali eiusmodi actus voluntariae Iurisdictionis exercere.* De tacita ordinum Imperii conuentione, qua alteri liceat in alterius loco territoriali actus voluntariae Iurisdictionis exercere, non rectius quam ex promiscuo illius Iuris vsu constabit, quem tamen ex Interpretum Iuris obseruatis nondum licuit didicisse. Si est talis Ordinum vel vniuersalis vel particularis conuentio, eam Iuris non scripti instar habere intelligo, et, vt decet in iis, quae Principi quacunque ratione placuerunt, merito veneror: Sin illa defuerit, in negantem sententiam me pertrahit imperiorum sanctitas, et quod homini peregrino testamenti publicatio, id est, priuati arbitrii in legem domesticam publici iuris auctoritate commutandi potestas, non facile sit permittenda. Quod vero ad vltimum attinet, num liceat iudici huius rei causa alienam intrare Iurisdictionem, quid tacita Ordinum Imperii conuentione in re opus sit, quae ab vniuscuiusque eorum voluntate vnice pendet, non video. Expressa Principis voluntas omnino deest. Quid ICTi? Illi ferre aiunt per ea, quae habet CARPZOVIVS P. III. Decif. 293. Perillustris BERGERVS alleg. P. II. p. 29. Excellentissimus LEYSERVS Medit. ad D. Spec. XXIX. n. II. Perillustris WERNHERVS Obseru. forens. P. VIII. Obs. 103. Nostrium non est improbare in foro, quod tam excellentibus viris placuit: erit autem nostrum rationes inspicere, vt qui Cathedrae scribimus. Breuissime SCABINI a) apud CARPZOVIVM:

a) In eundem modum, sed aeque breuiter, iidem responderunt Anno 1595. teste

VIVM: *Dirweil aber dennoch dergleichen Insinuatio testamenti ein blosser actus voluntariae Iurisdictionis, welche nach gemeinem Wahn der Rechts-Gelehrten auch extra territorium exerciret werden mag.* At enimvero nquimus, opinionem communem opinioni communi aliquando obsistere, aliquando succedere, nouimus et ea, quae ICTorum Lipsiensium Primitierius, Illustris GRIBNER vs, in *Dissertat. de Obseruantis Collegiorum Iuridicorum*, magno veritatis amore incensus dixit. ICTI WITTEBERGENSES nonnullas conquisiuerationes: fauorem id iubere vltimarum voluntatum; Iurisdictionem competentis Iudicis non valde turbari, cui idem iuris in alterum vel alium quemcunque liceat; Sportularum nomine, vt sibi satisfiat, posse petere. Sed erant forte, qui contendunt, geminarum sportularum iniunctione iugulum peti voluntariae Iurisdictionis; quod hominum plerique ne simplices quidem admodum volenti animo solvant; nec aequum videri, vt boni nostri, populares; illam de voluntariae Iurisdictionis vsu ICTorum persuasionem, suo marsupio luant, et duplicato sumtu redimant id, quod, si aduersarios nostros audias, iure fecisse videntur; nimium sibi tribuere Prudentes, si dictatoria auctoritate statuunt, nihil turbari suis opinionibus Iurisdictionis Germanicae circulos; penes nostros potius magistratus esse, statuere, num de finium iudicialium sanctitate, iure ab maioribus quaesito, quicquam velint remittere, nec ne; si reperiatur inter illos, qui volens de suo iure aliquid remittat, esse omni-

no

teste B. BARTHIO in *Dissertat. de Iurisdictione, quam Personae illustres et nobiles per officiales exercere solent* §. 17. pag. edit. a me curatae 485. verbis: *Hiernechst die Insinuatio testamenti auch bey einem fremden Richter deriff vorgenommen werden, und dieser, weil solche ad voluntariam Iurisdictionem gehoeret, welche bewahrter Rechts-Lehrer Meynung nach auch extra territorium zu exerciren ist, anderswohin requiriret werden kan etc. etc.*

I

no aequum, vt eidem in alterum, cuius in suos iurisdictionem voluntariam sponte agnouit, idem liceat; reliquos sui iuris tenaciores; vt illud exemplum sequantur, non posse compelli; denique sagacioribus dudum suboluisse, fauorem; vltimarum voluntatum non esse tantum, quantum vulgo iactatur. Consultissimus LEYSERVS etiam leges Romanas excitat, l. 1. & 2. D. de Offic. Procons. l. 36. §. 1. D. de Adoptionibus. l. 17. pr. D. de Manumiss. Vindicta; sed incassum, vt ea, quae supra docuimus, loquuntur. SCABINI LIPSIIENSES pariter atque ICTI WITTEBERGENSES ab iis consulto et recte manum abstinuissent videntur. Scilicet opinionis illius fons istae leges; quarum cum verba tenerent; vim eandem, et diuersam Proconsulis et Praefidum et Magistratum Municipalium Potestatem non tenerent inuictissimi illi iuris vtriusque Monarchae, tradiderunt posteris doctrinam, cuius apud multos non leuis auctoritas, num eo sit valitura momento, vt in tanta iurisprudentiae humanioris luce, recta ratione diuersum aiente, indole Iurisdictionis Germanicae contrarium flagitante, vivat atque perennet, intelligent nepotes. Sane etiam maiores nostros vel expressis pactis et conventionibus in hac re sibi prospexisse, monstrant ea, quae apud RICHTERVM P. I. Det. 30. n. 29 & 30. offendimus in hunc modum: *Testamenta dicuntur esse voluntariae Iurisdictionis, et valent coram quocunque iudice insinuata; secus tamen est, si conventionem vel pacto aliquo aliud sit introductum, veluti in modo allegata causa (ad consultationem nimirum des Dom-Dechants, Senioris non des Capituls zu Naumburgk M. Apr. 1638.) responsum fuit.* Weilm die zwischen euch und dem Rath zu Naumburgk aufgerichteten Vertraege und Compacten unter andern auch dieses vermoegen, das Testamenta im Weichbilde, oder so im Weichbilde vorlauffen, vor denen Gerichten uff der Freyheit nicht aufgerichtet noch angenommen werden sollen. Als sind auch daher eure Gerichte uff der Freyheit nicht befigt

befugt gewesen, des S. Testament vor ihnen aufrichten zu lassen, und demnach solche *disposition* zu Recht nicht bestaendig. V. R. W. Vratislaviae testamenta vi priuilegiorum ciuitati competentium, nonnisi coram Senatu oppidano, efficaciter deponi possunt, teste CHRISTOPHORO SEYDELIO *de Iuribus quae circa Processus forenses in Silesia, principaliter autem in Metropoli Vratislavia, obseruantur* L. I. C. III. Sect. 6. §. 2. Adde quae habet IO. GAR. NAEVIUS in *Iure Patrum C. VIII. §. 7.* Sed et audi Perillustrem BERGERVM: *Postremo tamen reticendum non est, a Dd. recte et prudenter statui, et rectius consultiusque esse, doceri ad euitandas lites, quae eo nomine excitari possunt, ut donationes pariter et testamenta similesue actus voluntariae Iurisdictionis, quantumuis alicuius cognitionis non indigeant, coram ordinario et competente iudice, atque adeo etiam multo magis in proprio Iurisdictionis loco expediantur.* Et pium B. TITII desiderium Iur. Priu. L. VIII. c. 9. *Praecauendis litigijs et nullitatibus satius foret, si lege constitueretur, ut omnes actus coram competente iudice expedirentur.* Neque est vt verearis, ita vulgarissimam distinctionem concidere, erunt contentiosae, erunt voluntariae, sed aliter ac apud Romanos ordinatae Iurisdictionis exempla, etiam Legibus Romanis prorsus ignorata, vid. *Ordin. Process. Saxon. Tit. XLVI. §. So lassen wir auch 7. Decif. Elect. XXVIII. XXXIX. LIX. et Sereniss. Regis nostri de Sportulis Ordinationem Tit. II.*

V. Quod sequitur de Iurisdictione ordinaria, et extraordinaria, minimum mihi negotii facisset; siue enim istam distinctionem inde petas, quod vel ex lege vel iure magistratus competat, siue a diuersa ordinariorum et extraordinariorum magistratuum potestate, siue a duplici Praetoris et Iudicis pedanei persona, nihil illa ad nos, et Interpretes nostri consentiunt.

Vsus Distinctionis in Iurisdictionem ordinariam et extraordinariam.



*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

VI. Non aequae facili negotio munere suscepto defungi poterō in iis, quae de mandata Iurisdictione dicenda sunt; quod et hic Doctorum non sit vna eademque sententia. Vide si lubet, SCHILTERVM *Exercit. ad D. V. §. 22.* STRYKIVM *in Vfu Moderno Pandectarum ad Tit. de Offic. ei. cui mand. est Iurisd.* B. TITIVM *in Iure Priu. L. VIII. C. X. §. 29.* B. THOMASIVM *in Nor. ad D. de Iurisdic. Perillustr. BERGERVM in Oeconom. Iuris Lib. IV. Tit. III. §. 1. not. 9.* Excellentiss. LEYSERVM *Medic. ad Pand. Spec. XXVII.* Mihi animus est, sepositis auctoritatibus rem ipsam excutere: Vbi primum de Legato Proconsulis, singularique Iurisdictionis eidem mandatae specie, satis constat, illa omnia, utpote a nostrae Reipublicae statu aliena, nunquam Germaniae nostrae esse illata. Quod ad alteram speciem attinet, qua magistratui cuiunque in priuatos conferre licuit Iurisdictionem, non vnam illi ipsi, qui eam existere aiunt, fouent sententiam. Sunt qui Praefectis nostris eandem mandandi, quam Magistratibus Romanis competiisse constat, tribuunt licentiam; sunt qui ad Iustitarios et iudiciorum administratores, vsum mandatae Iurisdictionis ostensuri, confugiunt; sunt denique, qui in Commissariis optimarum legum de mandata Iurisdictione a Quiritibus latarum vim atque potestatem superesse contendunt. Qui a Praefecto Iurisdictionem tertio mandari posse existimant, id capiendum esse monent de Iurisdictione particulari, non vniuersali, id est, de certa causa, non de munere toto. Ego vero ad hoc primum obseruo, ita non omnium apud nos magistratuum esse, mandare Iurisdictionem, ut Romae, sed paucorum, cum praeter Praefectos Iurisdictiones longe plurimae in Germania nostra sint vel Dominorum vel Vniuersitatum. Deinde fateor, me nulla ratione posse perspicere, qui factum sit, ut nostri maiores plerasque de mandata Iurisdictione leges receperint, illas nobilissimas XVI. et XVII. D. de Iurisdictione, de liberissima vniuersam Iurisdictionem mandandi potestate, respue-

runt,

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

*Vfus Iurisdic-
tionis man-
datae.*

rint, atque mandatam Iurisdictionem, in paucis tantummodo personis, vt istud Interpretum genus vult, superfitem, etiam potissima suae potestatis parte truncauerint. Capit inde vires aduersae partis suspicio, id, quod a nostri fori vsu maximam partem abhorret, prorsus abhorrere. Sed an solent Praefecti nostri certas causas mandare? Vix est, vt frequentia illius rei expectes exempla, quo monemur in Iurisdictionis Germanicae natura quidpiam latere, quod vsurpare vetet rem apud Quirites dubio procul quotidianam. At enim vero si quem Praefectum huius rei inuadat cupido, an id, more Romano, inconsulto Principe, inuitis partibus, faciet? Hoc quo minus affirmem, facit summum discrimen inter nostrorum Iudicum auctoritatem, ac Praetorum, Praesidum, Proconsulum maiestatem. Hi, P.R. Magistratus, iure suo, ex maiorum more, pro religione sua, Iurisdictioni praeerant. Illi, Praefecti nostri alieno magis, puta Principis, beneficio, ex collati muneris formula, iurata fide, iudicant. Mandandi autem Iurisdictionem apud Quirites mos ideo inualuisse videtur, primum, quod Populi Romani Magistratus, Viri illustres, sed saepe legum, immo bonarum literarum imperiti, illa via ad Consulatum aliasque dignitates grassarentur, quibus dubio procul perquam commodum accidit, in re ingrata et necessaria magis quam magna alieno ministerio vti; deinde, quod in prouinciis, illi etiam, qui essent iuris peritissimi, summa publicarum rerum cura aliquando supra modum distinerentur; repentinum denique a morbo vel alia legitima causa impedimentum nonnunquam exoriretur; vbi vtile perquam atque necessarium visum fuit, posse priuato Iurisdictionem vel omnem mandari: quae omnia, cum ad Praefectos nostros nihil pertineant, utpote, quorum omnium solertia et legum scientia et circa commissum munus fides electa censetur, quibus non Belli Pacisque in Prouincia Custodia, sed in sua praefectura τῆτο πρῶτῳ est iniunctum, quibus etiam ob ne-

gociorum molem vel frequentem ex aliis causis absentiam Vi-
 carius addi solet, eos rectius omnino facturos existimo, si rem
 a Principe acceptam alienae fidei pro suo arbitrio nunquam
 committent. Iustitiani nostri, quos alii mandatae iurisdictionis
 exempla suppeditare autumant, gliscente Iuris Peregrini
 in Germania vsu, coepisse videntur. Iuris dicundi potestas, vt
 summa ad Maiestatem Principis refertur, ita intermedia fuit
 prisco tempore in manu Nobilium, nullis adhuc Iuris
 vtriusque Doctoribus subsellia Iudicum occupantibus. Hoc
 clarissime loquuntur Iudicia Parium Curiae vetusta, pristin-
 na Placitorum, Parliamentorum, Regiminum, Curiarum
 forma, Specula a REPKOVIIS GRIMMENSTEINIISQUE
 confecta. Burgenses intra sua pomoeria Scabinis suis
 vtebantur, Weichbildorum etiam aliorumque Iurium mu-
 nicipalium conditoribus, ICTis patriis ob negotiorum in
 vrbibus frequentiam et causarum inter ciues enascentium
 grauitatem exercitatissimis, magnaue sapientiae laude ce-
 lebratissimis. Nobiles itaque in suis etiam latifundiis ius
 dixerunt ipsi quondam, quod lites essent paucae et exiguae,
 Iura vernacula, agendi modus planus et vulgatus, Scabi-
 norum etiam consilia et sententiae in promptu; mox Aduo-
 cati ex Academiis recentes Iuris, quod a plerisque Germa-
 norum ne legi quidem poterat, tricis, apicibusque captiosis
 conturbare coeperunt omnia, ICTi moribus bellum indi-
 xere internecinum, Cancellariae, Regimina, Curiae iis-
 dem doctrinis imbutae promptum tulere auxilium, Scabi-
 natus etiam tandem expugnati, vt Nobiles illam nimiam
 et miseram noui iuris diligentiam aspernantes, nullitatum
 autem, errorum, hallucinationum pertaesi, vnam hanc sibi
 superesse viderent viam, vicaria Iurisperiti opera in Iu-
 risdictione sua defungi. Decis. Elector. LXXIII. *Das dem
 Actuario von dem Gerichts-Herrn die gantzliche Verwaltung
 der Gerichts-Sachen durch eine gewisse Bestallung aufgetra-
 gen, da er denn des Richters Stelle vertritt.* His politis, ali-

bi autem firmandis, facile fero, si quis communi loquendi modo vtatur: *Illum sui praedii Iurisdictionem Illi mandasse*: neutiquam autem mihi persuaderi patior, Dominos Iurisdictionales, Iuris maxime Romani ignorantia ad mandandam Iurisdictionem compulsos, Iuris illius fuisse tam peritos, vt suum hoc mandatum ad Legum Romanarum de mandata Iurisdictione subtiliter statuentium amissim confectum vnice voluerint, et tanquam Exemplum Iuris peregrini in hac parte recepti, ad posteros transferant. Contrarium res ipsa loquitur, cum Iurisdictione ita ex moribus Germanicis mandata non sane in vna causa, sed causarum vniuersitate consistat, et non modo contentiones, sed voluntarios quoque actus; non illa tantum, quae iure magistratus olim competebant, sed et quae lege; non mixtum modo, sed merum etiam imperium comprehendat, quae omnia legibus Romanis quam sint aduersa atque ab eo, quod apud Quirites obtinebat, aliena, illa satis euincunt, quae in priori capite, ipsis legum verbis allatis, de mandata Iurisdictione sum commentatus. Immo verius est, nihil Iurisdictionis in eiusmodi mandatarios transire, nihil transferri; Nobiles (*die Gerichs-Herren*) ius dicere ipsos, sed, vt mos fert, in ea re, ICI opera et ministerio vti. Tandem nostrorum Commissariorum potestas a mandata Iurisdictione multum dissidet, quod mandatarios Principis, quales Commissariorum sunt plurimi, ius Romanum ignoret, quod iudex a Principe datus magis propriam Iurisdictionem habere videatur, quam mandatam, quod vniuersa Iurisdictione ita mandata vix occurrat, quod etiam in singulis causis illa committantur, quae Iure Romano non poterant mandari, quod non expresse commissa non videantur mandata, quod ad committentem sit prouocatio: legibus Romanis, quae de mandata Iurisdictione loquuntur, fere inuitis. Quare Perillustri WERNHERO accedimus, qui in Obseru. Forens. Vol. VI. pag. 665. *Mirum est*, inquit,

quam

quam incerta et turbida sint, quae vulgo Doctores de hodiernis Commissariis eorumque potestate tradunt. Praecipua confusionis origo ex eo repetenda est, quod eos ad modulum mandatariorum Iurisdictionis secundum Ius Civile, aut delegatorum Papalium iuxta Ius Canonicum metiri soleant, a quibus utrisque tamen multis modis differunt.

Vfus Iurisdictionis prorogatae necessariae.

VII. Nondum euasi omnes huius doctrinae laqueos, superest nodus de prorogatae Iurisdictionis in foris Germaniae vsu. Dixi eandem cum communi Doctorum schola duplicem, alteram necessariam, alteram voluntariam. Illam vsu nostri fori seruari quis negarit? num eandem legum Romanarum beneficio teneamus, diuersa longe est quaestio, quam nunc curatius discutere non licet. Interim non diffiteor, magis me inclinare in negantem sententiam, partim quod eiusmodi statutum, partes mutuis litigiis innexas ad eundem iudicem mitti debere, non videatur excedere veterum Scabinorum sapientiae mensuram, partim quod diuersa reconuentionis Germanicae et Romanae forma a) illius originem patriam indicare videatur, cum ii, quibus Transalpini iuris vsum debemus, quoties persuaserunt Notris rem nouam et peregrinam, omnes negotii circumstantias pertinacissime seruarint. De voluntaria siue expressa siue

Vfus Iuris-

a) Romani reconuentionem suam in fauorem Iudicis introduxerunt, ne actor, cuius in agendo obseruat arbitrium, eum habere, et contra se iudicem DEDIGNETVR l. 14. C. de sentent. et interloc. Forte et mox reorum decantatus apud Romanos fauor. Germani publicae rei inspicere utilitatem, cuius omnino interest, lites quam citissime finire. Ei rei maxime inseruit causarum connexarum apud eundem Iudicem tractatio, cui conuentione discussa facile est de reconuentione recte iudicare. O. P. S. R. Tit. VI. §. 2. verbis: Also versteht sich VON SELBST daß solche blos in causis connexis statt finde, ad separatas aber nicht zu erstrecken, sondern deren Ausübung zu eines jeden ordentlichen foro zu verweisen sey.

siue tacita maior est inter ICtos altercatio, praeter rem, si *tionis prae-*
 B. LVDOVICI in *Doctrina Pandect. h. §. 10.* credas, saltim *gatae volu-*
 post editum B. STRYKII *Vsum modernum Pandectarum, vt-*
 pote in quo libro illius autor, *prorogationem adhuc hodie in*
causis singularibus locum habere, EVIDENTISSIME demon-
stravit. In alia omnia abit B. THOMASIVS, STRYKII et
 LVDOVICI quondam Collega, in Not. ad Pand. p. 42. *Pro-*
rogationis, inquit, vsum hodiernum demonstrare variis argu-
mentis conatur Vfus Modernus §. 22. seqq. Consentium Dn.
 Beyer hic n. 42. et alii ab eo citati it. Schoepfer hic n. 17. *No-*
bis illae demonstrationes non videntur esse SATIS EVIDEN-
TES, sed potius placet doctrina virorum celeberrimorum dis-
sentientium, tam in vsu moderno, quam apud Schoepferum
citatorum. Medius est SCHILTERVS in Exercit. ad D. VI.
 §. 23. *Prorogatio, inquit, Iurisdictionis Magistratum et Prae-*
fectorum vnus domini Iurisdictionalis ipsis etiam inuitis, l. 2.
§. 1. D. de Iudic. adhuc hodie regulariter obtinere videtur.
Contra vero ipsorum Statuum et Dominorum iurisdictiona-
lium Iurisdiclio eadem ratione an prorogari possit, ita vt non
habeant illi ius interueniendi et reuocandi suos subditos pro-
rogantes? Hoc negamus. Ad haec SCHILTERI STRY-
 KIIVS §. 23. *Contrarium sustinet Berlichius P. I. Concl. V. n. 31.*
ubi in fine se hoc in iudicio contradictorio obtinuisse dicit. Sed,
 vt taceam, BERLICHIVM, farente STRYKIO, contrarium
 ex rationibus non concludentibus tenere, non viden-
 dum est, quid inter erronee *quod* aliquando obtinue-
 rit, sed quid ex vero obtinere debeat. *Sane modus, per-*
 git STRYKIVS, *habendi seu conferendi Iurisdictionem ipsam*
Iurisdictionem non alterat, aut aliud ei exercitium tribuit.
Qui Iure Magistratus Iurisdictionem habet, aequali aucto-
ritate in subiectos pollet, quam qui eam habet tanquam pa-
trimonialem. Hoc vero idem illud est, quod SCHILTE-
 RVVS negat, et de quo controuertitur, adeoque sibi dari,
 minus recte petit aduersarius. *Nec video, ait STRYKIVS,*
quare quis se subtrahere possit Iurisdictioni illi, quam Ma-
 gistra-

gistratus immediate a Principe habet, et non illi, quam pariter a Principe habet nobilis; sed vna cum fundo. Videbat autem SCHILTERVS, quod leges Romanas de prorogatione, non expresse abrogatas, ideoque in dubio semper loquentes, status Reipublicae in meris Magistratibus non respuerit, in dominis iurisdictionalibus respuerit omnino; sed mittamus mediam hanc sententiam, quod nec nostra est, et inuestigemus paulo curatius, quid STRYKIVS contra eos, qui vsum prorogatae Iurisdictionis in vniuersum negant, afferat in medium, quibus si idonee respondere dabitur, non egisse nos nihil, ipsi dissentientes fatebuntur, reor, qui affirmant. *Non habent, inquit ille, ponderis quicquam rationes, quibus hic nituntur: 1) Patrimonialem hodie Iurisdictionem dicunt, & 2) Sportularum commodum ita auferri Domino Iurisdictionis. Etenim priori nihil decedit per Prorogationem. Retinet enim in personam prorogantis Iurisdictionem illibatam, vtut in praesenti causa alium sibi iudicem selegerit.* Vt eo facilius, quod vult, lectori persuadeat STRYKIVS, eius animo in verbis postremis speciem obiicit talem, qua vnus in vna forte causa alium sibi iudicem seligit. Sed quid si vnus ille plures, imo plures e subditis, aliquando sat refractariis, plurimas ad vicini iudicis tribunal deferant, vt lege Romana Prorogationibus nullus positus est modus; an adhuc illius Magistratus Iurisdictionem dicemus illibatam? Praeterea e re publica videtur, fines Iurisdictionum, maiorum nostrorum bonitate animi an inertia, per innumeras pactorum figuras intricatas et confusas restituere atque ordinare, minime vero peregrinae legis beneficio eas magis confundere atque impedire. Principiis eiusmodi obsistere, et sibi competentis Iurisdictionis fines summa cura tueri, est Praefecti, probe gnari, non suam, sed summi Principis rem agi, si subiecti sub specioso iuris peregrini titulo in aliena fora se pertrahi patiuntur: est Domini iurisdictionalis, qui nouit Iurisdictionem eiusque com-
 moda

moda in patrimonio suo ceteri, cuius minuendi licentia nemini, omnium autem minime subditis est concedenda, qui suo Magistratui ad omne obsequium, sub quo etiam legitimo iudici morem gerendi, neque eius tribunal per cuniculos subruendi officium est comprehensum, sancta iurisurandi religione tenentur: est denique Vniuersitatum Iurisdictione pollentium, vt sollicitè custodiant id, quod titulo fere oneroso a) acquisiuerunt, vbi verisimile non videtur, Principes Venditores eas approbasse et recepisse leges, quibus in manu ciuium est, rem a summo Principe legitimo Magistratui cessam prorsus atque dimissam, pro arbitrio reddere dubiam atque infructuosam. Cautae fuerunt ciuitatum nonnullae, quae mores illos priscos peculiaribus statutis firmarunt. Ius Lubecense P. V. Tit. III. Art. 4. *Ein ieglicher Bürger soll den andern vor seinem ordentlichen Richter ansprechen, und nicht vor frembden:*

K 2

Thut

a) Exempla extare infinita, non latet rerum Germanicarum peritos, domestico vtar, de quo DAV. PEIFERVS Rerum Lipsienf. L. II. §. 7. Anno Iesu Christi supra millefinum, quadringentesimo trigesimo quinto, Fridericus Imperii Romani Septemuir Saxoniae Dux cum Senatu Populoque Lipsiensis fiduciarum venditionem Aldeburgi celebravit, pactionem consecit, vt tribus Rhenensium aureorum millibus enumeratis, Iurisdictionem cum Imperio tam intra quam extra moenia Oppidani haberent, quoad Princeps pecuniam illam senatui iterum dissolueret et §. 8. Georgius Dux Saxoniae anno Iesu Christi nati 1508. venditionem Iurisdictionis redimendae, illius conditione penitus obliterata, pretio trium millium aureorum Rhenensium ad priorem summam adiecto perpetuam esse iussit. Adde ZACHAR. SCHNEIDERI Chronic. Lips. L. V. pag. 228. Nunc etiam alterum Saxoniae nostrae ocellum adiciam, Dresdam, de qua WECKIUS in Chronico P. II. Tit. IV. p. 153. *Nunmehr aber, inquit, seynd die Obergerichte in der Stadt und im Weichbilde (basam enim iam ab El. Mauritio obtinuerant, locatione, vt verisimile est, in venditionem commutata) so der Rath sonst Pachtweise inne gehabt, IEDOCHTITVLOONEROSO, demselben seither von itzt regierender Churfürstlichen Durchlauchtigkeit (Ioanne Georgio II.) vollends erblich und eigenthümlich übergeben und geeignet worden.*

Thut es aber iemand, und wird darüber geklagt und über-
 wiesen, er soll darum Straffe leiden, darzu dem Part Ab-
 trag thun, und seiner Action der Oerter verlustig seyn, er
 quod magis in solens est Art. V. Ob wohl unsere Bürger
 Land-Güter oder Erbe in frembden Weichbilde oder Gebiete
 liegen haben, wenn derowegen Zwiespalt einfallen, so sollen
 sie doch einander in diesen Gerichten besprechen. Quo iure
 etiam Rostochiensis et Stralsundinesis vti, et a Principi-
 bus suis etiam pactis et contractibus specialibus cogni-
 tionem super praediis civium obtinuisse testatur MEVIUS
 ad Ius Lübec. alleg. loc. n. 8. 9. In eundem modum Dan-
 tiscani in Statutis MSSis P. II. c. I. art. 1. Niemand in
 frembde Gerichte auszuladen: Do irkein Burger Rechtli-
 che Zusprüche zu dem andern hette, der soll ihn beschuldigen
 binnen Landes, für seinem behörlichen Richter, und wenn Sa-
 che das einer den andern drunge oder lude in andere frömbde
 Gerichte, und derjenige, der also gedrungen oder geladen wur-
 de, sich seiner ehre gleichnuß und rechtens nie geweigert hette,
 auch nicht weigern würde, der einige, der also jemandt dren-
 gen beschwehren und in frömbde Gerichte laden wurde, der
 soll der Sachen genzlich fehligh erkandt werden, und der
 andere von seinen Zuspruchen genzlich gefreyet seyn, also
 daß darüber kein Rath noch Richter erkennen soll. Wurde
 er aber über das ichtwas vormehmen: so soll er seines Burger-
 rechts bestanden sein, und der Stadt Freyheit ewiglich ent-
 pehren. Quamvis enim hic ipse Articulus prima fronte
 nihil aliud loqui videatur, quam poenalem constitutio-
 nem aduersus ciues, qui in Iuris Regulam: *Actorem sequi
 forum Rei*, impingant, ex generali tamen rubricae sensu,
 totoque articuli contextu, etiam prorogationem vitetam
 esse, nullus dubito, maxime si compromisso implicitus, et
 inde poenitentia ductus forum prorogatum defugiat.
 Idem videtur dicendum de Reformationis Noricae P. I.
 Tit. I. Lege I. Von dem Statgerichte und das niemand
 den andern für frembde Gerichte ziehen soll: Alle und
 jede

jede ains Raths und gemainer Stat Burger, Burgerin, Inwoner, Diener und Eehalten, sollen alle in Sachen Zuspruch und Forderungen, so sie gegen und wider ains Raths und gemainer Stat Burger oder Verwandten zu laden vermainen, hie, vor dem geordneten Statgericht, oder andern gemainen Stat-Gerichten, dahin en jede Sach ordenlich gehört, rechtlich furnemen, und keiner den andern an frembde aussen Gerichte oder Recht ziehen laden und beklagen, durch sich selbs, oder yemand von seinen wegen, bey peen funfzig Gulden der Oberkeit zu bezahlen, nisi quod Norimbergenfibus placuerit, forum quodcunque, si ad illud lese expresse obligauerit, vel etiam contractus a suis agnosci, verbis: Oder sich freywillig begeben hette, umb Geld Schulden oder andere Forderungen an auswendigen orten oder Gerichten rechtens zu seyn, oder das die bezalung des Gelts, oder die liberung ainicherley Wharen oder Guter, an dem Ort zu thun bedingt, versprochen oder verschrieben were. Adde Statuta Hamburgensia P. I. Tit. XII. §. 2. verb. Und keiner den andern in frembde Gerichte aussershalb der Stadt ziehen, laden oder beklagen. conf. MEVIVS ad Ius Lubec. P. V. T. II. Art. IV. Addit. ad n. 29. Sed audiamus STRYKIVM, qui ita pergit: *Sportulas quod atinet, has propter molestias in cognoscenda et diiudicanda causa tantum petere potest iudex, quod si ergo per prorogationem illa molestia liberatur, cessat sportularum ratio.* O bellum iudicem, quem STRYKIVS animo suo voluit, pedaneum forte aut mercenarium. Ego vero duplicem nostris personam tribuo, iudicis et magistratus. Iudex est scilicet litigantibus, et eatenus verum est, quod ait STRYKIVS, tantum propter molestias in cognoscenda et diiudicanda causa, posse petere sportulas, sed et Magistratus est litigaturis eo iure pollens, vt, quos litigare oportet, in competenti foro litigare, et obsequium, quod in aliis rebus omnibus debent, in hac nobilissima imperii parte praestare compellat. Est in Praefectis peculiaris ratio, quam ILL. GVND-

LINGII ad D. h. iure patrio §. 34. verbis dicere malo, quam meis: *Sed opiner tamen multis in locis prorogationi Iurisdictionis parum fauoris iri impertitum, ubi conductionis lege, more olim inusitato, ad Praefectos conductores saepe transit iudicandi potestas, sportulis suis ne tantillum detrabi passuros: Proinde sine dubio is audiet partem resiliens a sententia lata, nec repugnabit forte fiscus. At sänge, litigatores fore contentos re iudicata, et vana erit Praefecti ira: Si prohibitionem generalem vel specialem deesse fingas. Alioquin enim refractarios mulctabit certo. Interest etiam multarum vniuersitatum commoda Iurisdictionis non praecidi, cuius incommoda et onera hominum malitia quotidie fiunt grauiora. Denique si tenes constantem celeberrimorum Ictorum opinionem, Iurisdictionem dominorum rectorae feruorum seu rusticorum suas debere origines, tum sponte intelliges, iuri peregrino nihil amplius ad minuendam eorum potestatem debere permitti, postquam placita illa: libertatem esse rem fauorabilem; pro ea esse pronuncian- dum; et similia, accedente morum patriorum ignorantia vel vera vel affectata, in iuribus dominicis stragem ediderunt non contemnendam. Recte itaque mea sententia rationes subduxit B. FRANCKENSTEINIVS in Dissertatione de Locatione Iurisdictionis Cap. III. §. 5. Omnia igitur emolumenta Iurisdictionis, quae conductori debentur, ei illibata et integra sumi concedenda conseruandaque, quem in finem etiam Conductor ius habet subditos Iurisdictionem prorogare volentes eo adigendi, vt coram se lites suas dirimendas curent; cum enim Locatori hoc ius competat, etiam Conductor illud exercere poterit. Nec quisquam dubitauerit Dominum Iurisdictionis Patrimonialis, de Domino enim Iurisdictionis Personalis hoc certissimum est, subditos suos ad id compellere posse: Idque facile euinci poterit, si modo Principia Iuris Ciuilis hac in parte relinquentes consideremus. Dominum Iurisdictionalem, suam in subditos Iurisdictionem non iure Magistratus, sed iure Domini habere.* Pergit NOSTER

STRY-

STRYKIVS, *si sportularum hodie tanta efficacia, cur mores permittunt actus voluntariae Iurisdictionis coram incompetente iudice expedire, cum et ex his non leues sperandae Sportulae.* At in voluntaria quoque Iurisdictione vim inferri moribus per ius peregrinum, supra ni fallor, ostensum est. Nec quicquam roboris est, in hac illatione. Licuit aliquid transalpino iuri in Iurisdictionem voluntariam; idem ergo liceat in Iurisdictionem contentiosam, cum in hac maxime iudicis vis atque potestas versetur, post illam voluntariae Iurisdictionis labefactionem eo acrius custodienda. Conquirunt undique rationes STRYKIVS etiam petita de criminibus instantia: *Et si tandem, inquit, leue illud lucellum tantae foret efficaciae, ut subditos ex alieno foro reuocare liceat: cur non idem liceret, si subditus meus commissio sub Iurisdictione mea crimine in fugam se conferat, et in alio territorio ad poenam etiam pecuniariam rapiatur? Hic enim frustra reuocatio, cum remissiones delinquentium hodie necessitatis amplius non sint. Atqui vero et Iurdictio criminalis hodie pariter patrimonialis est, et licebat iure Romano subditum delinquentem ex loco deprehensionis reuocare. Nou. 134. C. 5. Non vero idem licebat quoad prorogantem Iurisdictionem in causa ciuili. Vnde itaque moribus illa Metamorphosis: quod in ciuili causa reuocatio permessa, in criminali non aequae? Ut ad haec respondeam, existimo raros fore nantes in gurgite vasto, homines criminosos poenae pecuniariae euitandae causa fugitios, et in alieno deprehensos punitosque. At fingamus, existere eiusmodi visionem, forte non prorsus inepte disputaremus, eiusmodi hominem reuersum ad suos a competente iudice iterum esse emendandum, aut si nimis iniquum tibi videatur, vnum delictum gemina coerceri poena, fugam saltem eius esse vlciscendam; quo facto non habebit iudex competens, quod de erepto lucello conqueratur. Remissiones delinquentium necessitatis non esse, largior. At quis ferat in hac Historiarum luce illum loquendi modum: HODIE necessitatis amplius non esse,*

ac si vnquam fuerint? et illa: *Vnde moribus illa Metamorphosis?* ac si Leges Romanae sacri depositi instar ab Octauiio Caesare Augusto Augustissimo Carolo nunc Germaniae imperanti per priorum Imperatorum manus essent traditae, vt adeo quicquid illi refractarii Quiritium Teutonorum mores in contrarium aliquando sunt ausi, merae sint immutationes, nouitates, corruptelae, sedulo, si Diis placet, coercendae runcandaeque. Sed faciamus huius Metamorphoseos, Ouidianis nihilo verioris, gratiam STRYXIO, quem, vtut aliis floruisse laudibus non negemus, Historiarum tamen et Antiquitatum patriarum fuisse aut minus scientem aut amantem minus, res ipsa loquitur. a) Has qui excutiet, ille et sanctos Iurisdictionum fines, subditorum reuocationibus munitos, deprehendet, et in Banni Germanici natura offendet, qui factum sit, vt Maiores nostri extra suae potestatis septa errantes, postquam iis regione interdixissent, neglexerint, facinorosos alienos, intra sui Banni nallas repertos, vicissim promeritis poenis affecterint. Sed de eis forte alio loco vberius: nunc superest, vt illud instantiae de criminibus telum, ni fallor, fortissime in aduersarium retorqueam; nempe ex hoc ipso patere, nihil agere illos, qui ab altera Iurisprudencia ad alteram argumentantur, adeoque moribus consistere posse doctrinam de subditorum in ciuili Iurisdictione reuocatione, licet illud in criminali non liceat, cum inuerso ordine Romani eam in criminalibus causis seruauerint, in ciuilibus non aequae. Nondum sibi ipsi satisfecisse videtur STRYXIVS, quare ita pergit: *Quod si ergo hodie diuersum obtinere diceremus, otiosa foret frequentissima illa in contractibus renunciatio fori:* Er wolle sich seines ordentlichen Fori hiemit *per expressum* begeben haben, *vel;* Er gebe seinem Creditori hiermit freye Macht

a) Vide, si lubet, quae in Libro vernaculo: *Grund-Riß zu einer umständlichen Historie der Europäischen Reiche und Staton* in praefatione p. XXIII. seq. dixi.

Macht und Gewalt, ihn an allen Orten und Enden, wo er ihn zuerst antreffen möchte, zu belangen, massen er sich dieser Post halber eines jeden Richters *iurisdiction* wolle unterwürffig gemacht haben. *Frustranea, dico, foret haec cautio, quam tamen vim prorogationis habere fatetur Meuius P. I. D. 242. n. 6. cum semper a Magistratu ordinario reuocari, et hac ratione cautela illa eludi penitus posset; iuxta quam tamen ubique locorum procedi, testis est experientia.* Primum repudio *MEVII* auctoritatem, qua vna nec stare nec cadere iuris doctrinas manifestum est, quae ex eo magis dubia redditur, quod idem dudum ad dissentientium a nobis castra transferit. Deinde nec illud admodum mouet, ita cautelarum vnam fore frustraneam, quarum plures, postquam ars nostra a naeniis quisquiliisque repurgari coepit, conciderunt, et forte concident. Interea nec de illa fori renunciatione penitus conclamatum esse existimo. Fingas, statutis, pactis, legitima consuetudine a moribus patriis esse recessum; fingas, Magistratum ordinarium iure suo nolle vti, a) eo sane casu paciscentem debitorem obstringi, nulli dubitamus. Tandem verus illius cautionis vsus consistit in eo, vt debitor, se quocunque in loco interpellatum solurum, spondeat, atque ita moribus receptum forum contrarius constituat. b) quod ad causas ex contractibus non oriundas,

a) Audiamus *ERICVM MAVRITIVM* in *Difert. de Princip. Iur. Publ. German. Coroll. VIII.* *Prorogationem Iurisdictionis moribus nostris adhuc obtinere defendit nuperrime Dn. Manzius: Non obtinere iacetur plures iique celebres Icri, eo argumento, quod Iurisdictiones hodie factae sint patrimoniales. Nobis prorogationem Iurisdictionis hodie fieri posse videtur: sed modum prorogandi diuersum esse, ab eo, qui apud Romanos et seculo Iustiniani obtinuit: Illorum enim moribus sufficiebat consensus solius litigantis: nostris moribus praeter hunc requiritur etiam consensus superioris vel domini ipsius, qui habet Iurisdictionem patrimonialem, atque huiusmodi prorogationem ratam esse in Germania nostra plus simpliciter iudicauit Augustissimum, quod est Spirae, Imperialis Camerae Tribunal.*

b) *ANDR. GAILLIVS L. II. Observ. XXXVI. n. 16.* *Aliud est forum fortiri*

undas, aut pacta post contractum initum de aliena Iurisdictione agnoscenda celebrata nihil pertinere, in propatulo est. Arcem, ni fallor, aduersae doctrinae expugnauimus, nunc communiamus ea, quae STRYKIVS §. 24. se nihil morari, opinatur. *Hoc vero, inquit, quantum ad Imperii status restat dubii, quod illi vi superioritatis territorialis eo iure gaudeant, ut nec ipse Imperator euocare subditos ad suum tribunal possit sine Principis consensu, quod et certo modo inferioribus patrimoniali Iurisdictione instructis concedit Meuius P. II. Dec. IV. praecipue ob indulum primae instantiae beneficium. Accedit respectus subiectionis et eo sine praestiti iuramenti fidelitatis, cui aduersaretur, si quis extranei iudicis forum sequi veller.* Commodum beneficium primae instantiae mentionem inicit STRYKIVS, quod aperitissime loquitur, Iurisdictiones etiam inferiores esse rem tam sanctam, ut ne quidem a Principe illa attingi, adeoque a nemine, omnium minime a iudice forte prorsus alieno, violari debeat. Vid. *Ordnung der Churfürstlichen Ober-Hof-Gerichts zu Leipzig Tit. Wer von dem Ober-Hof-Gerichte mag geladen werden §. Es sollen aber et §. Und so iemand. Ausschreiben Churfürst Augusti de anno 1555. in rubrica: Dafs niemand unersucht der ordentlichen Gerichte, vor welche die Sache gehörig, ohne Mittel Klage an unsern Hof gelangen lasse. O. P. S. R. Tit. I. §. 9. verbis: insonderheit die Supplicanten, welche die erste Instanz übergeben, wenn nicht die mit eintlaufende Umstände ein anderes an die Hand geben, sogleich mündlich, oder doch nur per signaturam dabim anweisen, auch sonst darüber behörig halten, damit niemand an seiner habenden Gerichtsbarkeit beeinträchtigt werde.* Adde quae ex Ordinatione Cancellariae Martisburgensis affert Con-

fortiri, et aliud, subditum esse, prout plenius notavi in Tr. de Fignorat. Obl. 15. ubi vide cautalam - - videlicet ut debitor in instrumento promittat, se soluturum pecuniam Coloniae, Francofordiae, et vbiunque fuerit inuentus, quia tunc in illo loco, ubi conuenitur, contraxisse censetur, et per consequens ratione contractus poterit conueniri.

Consultiff. WABSTIVS in der Historischen Nachricht von des Churfürstenthums Sachsen Justiz-Verfassung, Sect. II. c. III. §. 12. Mirum, nihil hic valere nostri Auctoris rationes, supra tantopere inculcatas: *Retinere tamen iudicem inferiorem in personam, superiorem instantiam agnoscentem, Iurisdictionem illibatam, vti in praesenti causa alium sibi iudicem elegerit: Sportulas ob cognoscendam et diiudicandam causam tantum petere posse iudicem, ita autem illa eum liberari molestia: actus voluntariae Iurisdictionis coram quocunque iudice posse expediri: ordinario foro in contractibus posse renunciari: et similes.* Ego autem, pergat STRYKIVS, nec hoc voluntariam submissionem impedire dixerim, cum Ius de non euocando, eo tantum tendat, ne incommodo officiantur subditi, ad aliud forum euocati, quod cessat, si sponte se submiserint in causa ad Principis praedictum non tendente. Ego vero haec iuris publici principia ignoro, quod ex iis prona fluit consequentia, subditos, quibus commodum est, ad summum Imperii tribunal, inuito Principe, posse euocari. Quid? quod edoctus sum, illud de non euocando ius excellentiam esse superioritatis territorialis portionem, in vnius Principis manu positam, quae vti omnino commodum subditorum continet, ita praecipue ad Principis Maiestatem pertinet, a subditis etiam cum incommodo suo defendendam. Haec si vera sunt, vti verissima esse reor, nunc mirifica doctrinae huius exurgit compago, subditum Principis etiam volentem a summis Imperii tribunalibus euocari non posse, eundem volentem causam quamcunque, non dicam alieni Principis curiae supremae, sed proximi municipii extra territorium iacentis praetori, aut pagano iudici submittere posse, relicta forte competenti iudici, vel ipsi territorii Principi rem apud extraneos iudicatam exsequendi gloria. Sed redeamus ad STRYKIVM: *Nec fidelitati quicquam decedit: veneratur sui Principis maiestatem.* Scilicet non qua debet et decet, sed qua lubet. *Nec eam offendit, si in causa quae meri arbitrii priuati, ubi iuri suo cedere absolute potest, alterius iudicis sen-*

rentiam exspectet. En nouum communis opinionis propugnaculum, sed illud oppido inualidum: iure meo possum cedere, possum debitum donare, indebitum soluere, pretium mercedemque remittere, rem apud alterum derelinquere, ergo de eo apud quemcunque litigare. Prius verum est, mea enim res vnice agitur: Posterius falsum, hic enim tertii maxime interest, Iudicis, Magistratus, Domini, Principis. Quid verius, pacta etiam iurata contra iura prohibitiua non valere? Quid vulgatius, iura publica priuatorum pactis nihil immutari? Vnde et ipse STRYKIUS: *Quod si vero causa talis sit, in qua vllō modo Principis interesse vertatur, prorogationem illicitam esse dico.* Breuiter sed neruose SCHILTERVS ad omnem illam STRYKII pugnam in loco supra allegato: *Sed semper versatur interesse Domini iurisdictionalis, ne alius Dominus actum possessorium iurisdictionis exerceat in non subditum.* Non fastidit iam dicta STRYKIUS. *Si ergo, inquit, Cuius Marchicus alteri Marchico se obliget, quod debitum Lipsiae soluere velit, et inde forum iure communi Lipsiae sortiatur l. contraxisse 21. D. de O. et A. cur non pacto se ad forum Lipsiense alligare possit?* Quod illud iure recepto liceat ad constituendum forum contractus, moribus idonee limitatum, hoc non liceat moribus, ob Iurisdictionum sanctitatem. *Sed diceres: Controuersiam esse de casu euocati subditi;* Perobscure: sed in hanc sententiam, ni fallor: non defuturos inter aduersarios, qui tale pactum a subdito iniri posse largientur, de eo quaeri, annon magistratus, immo Princeps possit interuenire medius et subditum euocare? Respondet STRYKIUS ex l. 4. C. de Emancip. lib. *Non solent Principes in praeiudicium tertii, cuius ius ex conuentione quaesitum, rescripta edere: Atqui vero ex pacto Iurisdictionis prorogatiuo ius quaesitum creditori; nec vlla superioris laeso.* Maioris quam vocant propositionis veritatem, etiam citra iuris Romani auctoritatem, largimur; quod in minore dicitur, est id, de quo quaerimus, et quod erat demonstrandum.





Leipzig, Diss., 1729 A-C


ULB Halle

3

005 359 244







1, b99.
298
1729 14 2

D. GEORGII CHRISTIANI
GEBAVERI P. P.
COMMENTATIO ACADEMICA
DE
IVRISDICTIONE
SECUNDVM DOCTRINAM ROMANORVM
EIVSDEMQUE DOCTRINAE
IN GERMANIA VSV
EDITIO SECVNDA
MVLTO AVCTIOR ET EMENDATIO



LIPSIÆ
APVD IOAN. CHRISTIANVM LANGENHEMIVM
CIC MDCC XXXIII.

